3.

JOHANNIS STRAUCHI

Amoenitatum JURIS CANONICI

Semestre.

Quadruplici Indice instructum

Operis atque impensis

SAMUELIS ADOLPHI MÜLLERI,

Bibliopolæ & Typographi.

JENÆ

Anno 1674.

JOHANNES STRAUCHIUS
Lectoribus
S. D.


E semestribus hisce operæ esse non puto, rationem ambitiosè ut reddam: Malim captui vestro id omne permittere. De inscriptione hoc tantũ adiicio. Cum decennio abhinc Parisiis mihi mittebatur ÆGIDII MENAGII, ICti præstantissimi liber, quem juris ci-

civilis amœnitates inſcripſerat, adeo me & ipſum ceperat opus, & tituli amœnitas, ut poſtquam è foro, quo tum occupabar, in Academiam revocatus officii neceſſitate juri Canonico horas aliquas de die dare debuerã, Menagium imitato mihi, idem præſcribere & meis nomen viſum fuerit. Quamvis verò & ab ingenio viri hujus, & argumenti prærogativâ me longè relinqui jam tum ſentiebam, adeo tamen tenuere, quæ ſemel animum ſubierant,

hæ-

hæ pellecebræ, ut ne nunc quidem mutare velim, Cur verò Menagius operi ſuo titulum AMOENITATES fecerit, rationes ad Nublæum præfatione reddit: Eas ex parte mihi, jurisque Canonici ſtudio communes eſſe, forſan non erravero, ſi mihi perſuaſerim: Sin erro, cogita & hoc tibi mecum commune eſſe, Lector. Quò magis, uti ego tuo te ingenio obſequi haut invitꝰ patior, ita quoque uti tu me meo, æquum puto. Jenæ XXIX. Martii Anno Dom. cIↄ Iↄc LXXIV.



Amœnitatum Juris Canonici menstruarum AUGUSTUS. *seu* Ecloga prima.

CAP. I.

De Compilatione Gratiani. Quis ille Gratianus.



INter collectiones canonum Ecclesiasticorum, quinta est Gratiani, Monachi S. Felicis, Bononiensis, aliis S. Proculi, aliis S. Felicis & Naboris, familiæ Benedictinæ, qui natus est Classæ, vel Clusis, Civitate Thusciæ. Arnoldus Duacensis Monachus in libro, quod *lignum vitæ* insc ipsit, Gratianum Clusis natum Monasticam S. Proculi professum & inde ad Felicis & Naboris transgressum, Decreta compilasse scribit. Adi & Sigon. *l. 1. de Episc. Bonon.* tempore Eugenii III. Pontificis *Anno 1151.* ut habetur in Chronico Vaticanæ Bibliothecæ, quod *Pomerium Ecclesiæ Ravennatis* inscribitur. Confer Hugutionem, Interpretem antiquum *ad c. post appellationem ad §. forma c. 2. quæst. 6.* Criticos Gregorian. *dicta præfat.* Felin. *c. 2. n. 43. de rescr.* Quod vero Trithemius *lib. 2. de Vir. Illustr.* ad *ann. D. 1127.* compilationem refert, id de inchoatione operis fortassis intelligendum. Titulum huic compilationi videtur fecisse Gratianus, *Concordantia discordantium canonum*, quamvis in quibusdam exemplaribus *Decretum* appelletur. Vid. Anton. August.

A *de*

de emend. Gratian. Dial.1. & Criticos Gregorianos *præfat. suâ.* Hujus Gratiani memoriæ Bononiæ apud D. Petronium ad Sacellum D. Sebastiani hæc extat inscriptio.

D. O. M.

Gratiani Clusini, Cæsarei juris & Pontificii enucleatoris propè divini, qui Monachus in martyrum Felicis & Naboris æde absolutissimum ibidem opus Decretorum anno Gratiæ M.C. LI. compilavit, monimentum, quod illic carie obsorduerat, hic magnificentius renovatum est. Joan. Franciscus Aldrovandus Bononiensis IV. Dictator ære publico instauravit. Anno Salutis 1498. Idibus Junii Joanne Bentivolo II.P.P. rempublicam feliciter gubernante.

Et in æde S. Felicis, ubi Gratianus edidit opus Decretorum in saxo vetustissimo, quod nunc in sacrario reconditur, hi versiculi leguntur;

Hanc ave partem Lector reverenter adito
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus quantum libet arcto
Contentus septo, quod reparando caducum
Et vetus hoc claustrum, tolli fuit inde necesse.
Id tamen Abbate constructum est Bartholomæo
Mille trecentis decies septem atque quaternis
Annis à Christo, pura de virgine nato.

Fertur hic Gratianus vulgo quæsitus fuisse. Vide Ant. Florent. *p. 3. tit. 15. c. 6. Speculi.* Et hæc collectio canonum Gratiani constituit hodie primam corporis Canonici partem, & prior est omnibus epistolarum Decretalium compilationibus. Cujac. *cap. ult. X. de sent. & re jud.* Alb. Gentil. *disp. de Jur. Canon. c.1.* Judicium de opere Gratiani vide apud Duarenum in præfatione librorum de sacris Ecclesiæ ministris, ibi inter cætera : Nec eo libro ullus est in hoc genere utilior, quamvis in eo nonnihil desiderent eruditi. Confer Joachimum Stephani de jurisdict. *lib. 4. c. 3. num. 9.* Et Thomam Neageorgum præfatione tractatus, cui titulus : Rubricæ sive summa capitulorum juris Canonici. Bocth. Epo. de jure sacro, *lib. 2. c2. num. 97.* Hinc Interpretes veteres, Alanus, Vincentius, Tancredus, Laurentius & cæteri, cum capita referunt collectionis Gratiani, utuntur vocula *supra*, innuentes, post Gratianum volumen, collectio-

collectionem aliam supervenisse. Qui glossas in Decretum scripserunt, primus fuit Hugutio, ut habet Anton. Florentinus *part. 3. Speculi pr. & plenius. t. 18. c. 6. in fine.* Secundus fuit Johannes quidam Semeca, cognomento Teutonicus sub annum Christi 1260. Præpositus Halbersstadensis. Ita enim Beatus Rhenanus in præfat. corporis Canonici glossati, à Johanne Amerbachio recogniti & Basileæ anno 1512. excusi, ubi addit, vixisse sub Imperatore Rudolpho Habspurgensi, Alberto Magno Synchronum. Tertius fuit Bartolomæus Brixiensis. Vide Johannem Andreæ in proœmio ad Decretales. Seqvutæ sunt itaque hanc Decretorum collectionem & Decretales epistolæ, quas Episcopi consultantibus rescripserunt.

Cap. II.

De Decretalium compilatoribus.

PRimus eas congessit Bernardus Circa, Præpositus Papiensis, & post Episcopus Faventinus, primus ex tribus Bernardis, jure Canonico claris, quorum alter Parmensis, alter Compostellanus. Cujac. *c. 1. x. qui cler. vel vovent.* Approbata hæc fuit collatio tempore Alexandri III. Hanc compilationem hodie non haberi ait Johannes Andreæ Filius. *t. 7. de cler. conjug.* sed edidit tamen eam Antonius Augustinus. Ipse Bernardus suam compilationem vocat, Breviarium extra, sive extravagantium, ut habet liber Romanus. Porro subinde novis è sede Apostolica constitutionibus prodeuntibus, mox aliud volumen edidit Gilbertus Abbas, & Alanus quidam, Episcopus Antisiodorensis, sed nomen præripuit his Johann. sive Gallensis, sive Vallensis Volateranus, cujus liber, *secunda*, sive Alexandri IV. compilatio audit. Vid. Platinam *in vitâ Alexandri IV.* & Johann. Andreæ *proem. addit. ad Speculator.* Alb. Gentil. *de libris Jur. Canon. p. 2.* Prodiit XII. annis à prima, eorundemque Pontificum rescripta collegit, itemque Cœlestini III. iisdemque mox addidit scholia quædam; Interpretes hujus compilationis fuere Hugo, Ferrariensis episcopus, cujus frequens apud Innocentium III. fit mentio, & Bernardus Major Compostellanus, Archidiaconus, & ait A. Augustinus, Vincentii, Tancredi, Alani, Laurentii & aliorum se scholia vidisse. Post hanc cœperat aliam

Bernardi Circa. Bernardi tres prima compilatio.

Compilatio Gilberti & Alani.

idem Bernardus Compostellanus ex Registris Innocentii III. eaque aliquando compilatio Romana dicta. Sed Romani indignè ferentes, quod ab usu remota referret, ab eodem Innocentio impetrarunt, ut Pontificia autoritate alia collectio ederetur. Cui rei Petrus Beneventanus notarius præfectus est, anno 12. ejusdem Pontificis. Joh. Andreæ. *c. 6. de conj. præb.* Cujac. *c. 2. de Sponsalib. & tit. de Conjug. Serv.* Et hæc prima publicâ facta auctoritate collectio est. Cujac. *c. 24. x. de Sponf.* Nec valebant, fidemve faciebant, nisi à Scriniariis Romanæ Ecclesiæ comprobarentur. Ant. Aug. *præf. collectionum antiqu.* Ejus Interpres fuit Paulus Hungarus, ut Joannes Andreæ habet.

Bernardi Compostellani compilatio Petr. Beneventani

Cap. III.

De Compilatione IV. Innocentii, & Honorii III.

QVarta compilatio ejusdem Innocentii est, qui, qvum in concilio Lateranensi septuaginta unum edidisset capita, sed & illo quinquenni spatio post tertiam collationem aliquot constitutiones, duplex inde editio extitit, altera canones ejus duntaxat concilii continens, altera alias quoqve constitutiones. Ejus Interpres Vincentius fuisse dicitur. Sed ait Augustinus se Johannem Jacobum & Robertum seu Rogerium legisse. Usus harum Decretalium adhuc commendatur Doctoribus, ut absque his vix quenquam posse bene interpretari jus Canonicum Cujacius adfirmet alicubi, nec non Ant. Augustinus præfat. ad eas. & in primis A Gentil. de Jure Canonico. c. 3. Qvinta collectio Honorii III. constitutiones habet, â Tancredo Bononiensi Archidiacono collectas, sub ipsius Pontificis nomine, cujus interpres fuit Jacobus Albanus, Faventinus Episcopus, Henrici Ostiensis Præceptor. Hostiensis. *procem. summ. num. 10.* ut tradit Augustinus. Diu hæc compilatio quæsita & desiderata fuit. Et nondum editam Alb. Gentil. *de lib. jur. Can. p. 9.* ait. Quam tamen Cujacius & Contius habuere. Vid. Cujac. *c. 28. de Sponsal. c. 17. de for. compet. c. pen. de frig. & malef. c. 63. de Appellat.* Causam hujus raritatis videtur Joh. Andreæ indicasse. Ait enim, Gregorium IX. successorem Honorii statim initio Pontificatus sui de suâ

com

compilatione cogitasse. Ita pressa fuit Honoriana. Tandem inventa est in bibliothecâ veteri Albiensi, & ab Innocentio Cironio, Academiæ Tolosanæ Cancellario viro doctissimo Tolosæ edita.

CAP. IV.
De Compilatione Gregoriana, & Bonifacii VIII.

ULtima est Gregorii IX. qui, ceu Cujacius ait *c. ult. de sent. & re jud.* ut aliquid in eâ poneret de suo, ex jure Civili ultro, non aditus â Consultoribus ullis, pleraque sumsit & instruit, quo fit, ut ejus constitutionibus plerumque nemo inscribatur, ad quem constitutiones dirigantur. Prodiit A. C. 1230. operâ Raymundi de Pennâ forti Capellani & Pœnitentiarii Pontificis. Vide *Proœm. Decret. Gregor. vers. ad communem.* Qui postea â Clemente VIII. d. 29. April. anno 1601. sanctorum numero receptus & canonisatus est. Joh. Bapt. Vivianus *ad proœm. decret. Greg.* Ab hac compilatione Pontifices sequentes cessarunt aliquandiu novis constitutionibus edendis, donec sub annum Christi 1300. Bonifacius VIII. partim suas partim aliorum superiorum Pontificum, qui inter ipsum & Gregorium IX. intercesserant, nec non ipsius Gregorii novas constitutiones, ac præcipuè duorum generalium conciliorum Lugdunensium, quorum alterum sub Innocentio IV. anno 1245 alterum sub Gregorio X. anno 1273 celebratum, decreta totidem libris, eodemque prorsus ordine, quot & quo ipse Gregorius usus fuit, adjecit. Multa, quæ ante in scholis & in judiciis ambigua declarasse dicitur Henrico Stereoni *p. 403. tom. un. scriptorum German. à Frehero editorum*, & Henrico â Rebdorf. *p. 417.* Hæc compilatio facta per Gvilielmum Archi-episcopum Ebrodunensem, & Berengarium, Episcopum Biterensem, ac Magistrum Richardum de Senis, S. R. E. Vice-Cancellarium, quorum fit mentio in proœm. *libri VI. Decretalium.* Meminit & Richardi, tanquam Auctoris hujus compilationis Alber. de Rosat. *l. ult. C. de Feriis.* Cui etiam Dynum superfuisse tradunt. *Vide Catell. Cott. Memorab.* Citatur â Baldo *in tit. de pace constant.* nomine Novellarum. *Alb. Gentil. d. c. 1. pag. 11.* Hæc compilatio in Galliâ non est recepta, quod quæ in ea extent

Bonifacii VIII. Decretales.

constitutiones pleræque in odium & æmulationem Philippi Francorum Regis editæ, & in Romanæ aulæ quæstum excogitatæ credantur. Duaren. *præfat. lib. de Sac. Eccles. min.* Cujac. *c. ad audientiam. 4. de Sponsal. & matrim.* Cluten Syllog. *rer. quot. th. 6. lit. b.* Ferre enim Rex non poterat majestatem suam & regni â Pontifice imminui. Papa enim Regem anathemate non tantùm percussit, sed subditum in rebus civilibus scripto denunciavit, anno ultimo Pontificatus. Cui successor Clemens V. derogavit. *cap. meruit. de privil. in Clement.* Vide Henricum Spondanum.

Cap. V.
De Clementinis, Extravagantibus, & libro Septimo.

MOrtuo Bonifacio Clemens V. Gallus è Vasconiâ, diœcesis Burdigalensis eodem ordine servato constitutiones Concilii Viennensis anno 1311. celebrati, una cum ceteris constitutionibus Decretalibusque edere animatus, sed morte præventus fuit. Itaque curante successore Johanne XXII. anno 1320. prodierunt quæ Clementinarum appellatione citantur. Confer Henricum Stereonem *annal. p. 405.* Et hæc octava est collectio. Martin. Polon. *in Clem. V.* Glossa *in proœm. Clement.* Has Glossas exposuit Johannes Andreæ Bononiensis. Paulo post Clementem V. Johannes XXII. Cadurcensis Aquitanus suas quoque edidit Decretales, ordine Decretalium Gregorianarum observato, quas Extravagantes appellant. Cujac. *in c. ad audientiam. 4. de spons. & matrim.* Johanninas vocat. Quas commentario illustravit Zenzelinus de Cassanis, seu Gezellinus, vel Jesselinus de Cassanchis. Johanne autem defuncto diversæ diversorum Pontificum, annorum plus minus 150. prodierunt extravagantes, usque ad Sixtum IV. quæ quod unum auctorem non habent, allegari solent; Extravagantes communes. Harum aliquæ cum Glossis Johannis Monachi Picardi Cardinalis, aliæ cum commentariis Gillermi de Monte Lauduno, & Johannis Francisci de Paviniis sunt vulgatæ. Summam harum â Gregorio IX usque ad Sixtum V. edidit Petrus Matthæus Lugduni, anno 1588. Integras autem Laertius Cherubinus JCtus collegit,

Extravagantes.

&

& titulo Bullarii promulgavit. Extat etiam Compendium à Gregorio VII. ad Paulum V. Jacobi Castellani, Clerici Tarvisini, & summa Bullarii, quæ post juris Canonici libros, à summis Pontificibus emanarunt, autore Stephano Quaranta, cum additionibus Prosperi de Augustino. Itemque Johannis Baptistæ Scortiæ in selectas Pontificum constitutiones epitome ac theoremata. Denique anno 1590. opera Petri Matthæi prodiit liber Septimus Decretalium apostolicarum post sextum, Clementinas & Extravagantes editarum continuatio.

Cap. VI.

Quid distet jus Canonicum novum à Veteri?

Et hactenus de jure Canonico novo seu Decretalibus: Quod si quæras, quid inter antiquos canones, & istud novum Decretalium jus intersit, multum interesse equidem nemo ibit inficias: Notatu dignum est judicium Francisci Duareni: *In Decretalium volumine*, inquit, *multa intueri licet, quæ à priscâ illa disciplinâ, quam Decretorum liber à Gratiano editus continet, multum degenerent. Atque hinc natum est illud apud Nostrates tritum ac vulgò jactatum: Malè cum rebus humanis actum esse, ex quo Decretis alæ creverint. Quo enim tempore conscriptæ sunt illæ epistolæ, quibus Pontifices Romani de jure consulentibus more veterum Imperatorum respondebant, causæ ecclesiasticæ antiquam simplicitatem jam amiserant, erantque ejusmodi, ut ad eas dirimendas atque definiendas JCti & Pragmatici adhiberentur.* Hactenus Duarenus. Et ut aliquanto explicatius dicamus, jus novum ab antiquo in eo quam latissimè discessit, quod suprema Potestas, quam in plerisque causis dijudicandis synodi provinciales obtinebant, soli Pontifici tribui cœperit, ut nec synodis amplius supersit, canones condere seu exponere, sed solus Pontifex constitutionum condendarum potestatem sibi vindicat. Inde & judicia novam planè formam induerunt per varia Pontificum rescripta, quibus cognitiones disceptationum fori Ecclesiastici instituerentur. Inde tot rescripta de judicibus delegatis, de officio judicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus sen-

Suprema Potestas Synodis ademta Pontificē delata cū jurisdictione.

Disceptationes forenses natæ

sententiis, appellationibus, totoque judiciorum ordine. Quæ omnia novis constitutionibus introducta, & magnam partem in formulis actionum & triturâ fori occupantur. Porro ex beneficiorum ab ordinationibus discretione nova ecclesiasticæ politiæ facies exorta est. Cùm autem jure Canonum, & quidem canone concilii Chalcedonensis nullus ad Clerum adscisceretur, quin ad certam ecclesiam, certoque ordinum gradu adscriberetur, adeo ut manus impositionē seqveretur adscriptio in canonē, seu matricu'ā Ecclesiæ id postea in solis Episcopis servatū, in reliquis ordinib9 neglectū est, ita ut absq; titulo Ecclesiæ ordinentur Clerici. Et quamvis concilio Lateranensi vetitum fuerit, ne Clerici ordinentur absque titulo, saltem patrimonii, ne sic tamen vetus disciplina est restituta, quæ Clericos per manuum impositionem suis ecclesiis addicebat. Intromissa hac ordinationis separatione, â beneficiorum collatione, jam nova materia & seges juris Canonici enata est, de beneficiis acquirendis, conservandis, amittendis, quæ ferè utramque paginam novi juris Canonici faciunt. Porro matrimoniorum causæ prohibitionibus novis ad conservandam publicam, ut videbatur, honestatem arctatæ, ad solius Ecclesiæ revocatæ cognitionem, & formulis forensibus adstrictæ in novam juri Canonico messem adolevêre. Veniæ temperamentaque excommunicationum & pœnitentiarum publicarum jure antiquo introductarum novis constitutionibus adinventa novas genuerunt juri Canonico species. Monachorum insuper aliæ atque aliæ subnatæ familiæ, religiosarumque domuum surgens multitudo novas regulas & instituta, novamque legumlationem poposcerunt. Et, ut finiam, exemtiones monasteriorum & capitulorum Canonicorum ab Episcoporum jurisdictione, privilegiaque varia illis concessa, varias causarum figuras â Pontificibus disceptandas præbuerunt, ut scitè & prolixè differit Petrus de Marcâ, Archiepiscopus Parisiensis. Ex quibus facilè discrimen novi ab antiquo jure Canonico elucescit.

Politia Ecclesiastica nova per separationem beneficiorum ab ordinatione cœpit.

Causæ matrimoniales ad forum Ecclesiasticum tractæ.

Indulgentiæ.

Novi Monachorum ordines.

Exemtiones Clericorum.

Cap. VII.

CAP. VII.
De Juris Canonici auctoritate.

Videamus jam de juris Canonici auctoritate & usu. Et sunt sane non parum multi, qui in absurditatibus, vanitatibus & erroribus hujus juris, tanquam ulceribus, assiduè, nimisque acriter exercent ungves. Quorum censuras si congerere velimus, sane prodiret nobis ingens

Telephus & summi plenâ jam margine libri
Scriptus & in tergo, nec dum finitus Orestes:

Videat, qui volet, Henricum Cornelium Agrippam, armatæ militiæ Equitem auratum, utriusque Juris ac Medicinæ Doctorem, *operum parte posteriori c. 92.* Carolum Molinæum & Eberhardum à Weihe *editis de hoc argumento orationibus.* Lutherum *tom. 1. Jenensi. fol. 355.* Et in sermonibus mensalibus passim. Hottomannum *in Bruto fulmine*, Innocentium Gentiletum *lib. 5. Exam. Concilii Trident.* Johann. Barclajum *Exam. Bellarmini potest. summ. Pontif. in temporalibus. p. m. 6.* Contium *præfatione editionis Decretalium.* Et alios plures, quos vel nominando operæ pretium perditum iri vereor, quippe qui ejus & necessitatem, & summam utilitatem etiam in reformatis Ecclesiis, scholis, atque judiciis, vitâque politicâ agnosco lubens & merito cum eodem Eberhardo à Weihe *dict. Orat* & Cluten. *diatriba de autorit. Jur. Can. p. 49. & seqq.* Fuisse videtur ab initio, quo cœperunt ordinis atque decoris in Ecclesia servandi causa certi canones condi, non alia aut major eorum auctoritas, quam decretorum, quibus collegia, aut corpora socios sibi suos adstringunt. *L. 4. C. de Colleg. & Corpor.* Ex quo vero accessit confirmatio Imperatoris Justiniani, Codicem canonum confirmantis, atque canonibus vim legum tribuentis, utique jus proprie dictum existere cœperunt, in quantum potestas Legislatoria Justiniano fuit. Et quia conciliis, quæ post quatuor illa oecumenica fuere, non tantum interfuerunt, sed & præfuerunt Imperatores Romani vel ipsi, vel eorum vice, quos ipsi voluerint, oportet & eorundem decreta conciliorum vim legum obtinere, & si à privatis compilata, quia vim & auctoritatem non â collectore, sed ab ipso concilio & Imperatoribus habent, quam amittere nequeunt, quo-

Canonum ab initio auctoritas

Decreta conciliorum.

cunquē codice collocentur, atque â quocunque describantur. Quare non solum Johannis Scholastici, Photii, Blastaris, Harmenopuli, sed & Latinorum, Dionysii Exigui, Martini Bracarensis, Fulgentii Ferrandi, Isidori & denique Gratiani collectiones, quatenus continent canones è codice Ecclesiæ universæ, aut decreta conciliorum oecumenicorum, aut orthodoxarum Synodorum, auctoritate Imperatorum celebratarum vim legis Ecclesiasticæ obtinuerunt, & quæ hodie in Ecclesiâ Romanâ statuuntur, adhuc auctoritatem â Pontifice Romano habent. Confer Alciat. *4. parerg. 23.* Alb. Gentil. *de Jure Canon. c. 2.*

Cap. VIII.

De usu & auctoritate veterum Decretalium, & de Regesto.

Regestum Registrū.

VEterum quidem Decretalium usum non esse exiguum, Cujacius censet, quod absque iis vix quisquam bene interpretari jus Canonicum possit. Eadem ratio etiam est Regesti, quod vulgo Registrum appellant. Extat Regestorum vox in constitutione *de Justin. Cod. confirm. §. 4. & in l. 2. C. T. de discuss.* ut & in subscriptione *l. 14. C. T. de indulg. debit.* Erantque monumenta & acta publica diversorum officiorum & judicum, in quæ & constitutiones Principum referebantur. Glossæ nomicæ: Κῆνσον καὶ ῥεγέςαν τὴν ἀπογραφὴν τῶν ἀρχαίων ἀντὶ τοῦ ἀπογραφέως. *Vid. l. 14. C. T. de indulg. debit.* Cujac. *15. observ. 37.* Inde vox applicata commentario seu codici, quo regerebantur epistolæ Decretales. Has enim diligenter in chartario Ecclesiæ Romanæ conservatas fuisse docet D. Hieronymus *in apologia adversus Rufinum: Si â me, inquit, fictam epistolam suspicaris, cur eam in Ecclesiæ Romanæ chartario non requiris.* In hoc ergo Regesto decretales integræ habentur, non semper in antiquis compilationibus. Quare Interpretes, & imprimis Johannes, quem Andreæ nothum appellat Alb. Gentilis, sæpè ad Registrum provocat. Et censet Ant. Augustinus rectius interpretationem hinc desumi. Porro & veterum Decretalium usum quoque exserere sese in Glossis veteribus legendis, ostendit exemplis Alb. Gentilis. *p. 31.* ad quem remitto. Sed nunquid etiam

Veteres Decretales.

hodie

hodie jus faciunt antiquæ Decretales? Videbatur ita: Derogatum enim non fuisse juri primæ collectionis per secundam, nec utrique per tertiam, & sic deinceps. Ergo nec omnibus hisce per secutam Gregorii collectionem. Quo facit, quod Doctores sæpissimè ad antiquam provocant, quod frustra fieret, nî etiamnum usum obtineret. Sed verius est, fuisse antiquatas. Constitutio enim hoc ipso, quod non inserta Codici constitutionum, non censetur approbata. Roman. *conf. 112.* Et sæpe respondet ita Joh. Andreæ, *revocatam esse, quia non inserta.* Joh. Andreæ *addit. ad Specul. de Off. deleg. de Recus. de Procur. de Adv. de Salar. de instrum. edit.* Et ita sancitum diserte est â Bonifacio *in proœmio Sexti.* Confer Gentilem *lib. 6. de Nupt. c. 21.* Eadem & Regesti est ratio, quod contra Decretales non est allegandum, quales sunt hodie Corpori Canonico inclusæ. Vid. Alber. Gentil. *p. m. 43.* Recurrere tamen eo juvat, ubi vel textus emendandus, vel decretalis in dubium vocatur, aut Raymundus forsan dormitavit. Quam viam etiam monstrat Innocentius IV. in præfatione apparatus sui in Decretales.

Cap. IX.

De omissa in proœmio Decretalium Nominis Divini invocatione.

NOn caret reprehensione compilator juris Canonici ob omissam initio operis invocationem Dei, quæ in corpore civili religiosè servata, & in Pandectis Florentinis præfixa Constitutionibus de Confirmatione Digestorum, quarum una Latina est, altera Græca. Utraque â Justiniano posita ante orationem ad Antecessores, ut monet Taurellus. At quia sub titulo Codicis, de veteri jure enucleando, repetita est post constitutionem de Conceptione Digestorum, ideo quandoque omittitur in vulgaribus editionibus, sola oratione ad Antecessores proœmii vice ad Digestorum libros retentâ. Nec verum tamen est, ab omnibus exemplaribus juris Canonici invocationem abesse. In meo enim reperio, quod Venetiis editum per Thomam de Blavis, de Alexandriâ, & in Glossato impresso Venetiis per Magistrum Andream de Papiâ Anno 1492. Scimus Reinaldum Corsum 3. *Indagat. 15.* rationibus aliquot omissionem excu-

Invocatio nominis divini invenitur in quibusdam exemplaribus.

cusasse ; nec satisfecit tamen Jacobo Wissenbachio, quin *disp. 1. ad Inst. 1.* eum reprehenderet. Sane invocare nomen Domini in omni opere & actu oportet : Sed quod hæc invocationis formula literis præscripta operi, argumentum sit internæ invocationis, eaque omissa Pontifex dedignatus fuerit verum Pontificem invocare Christum, nondum persvasit Wissenbachius. Novimus etiam Ethnicis usurpatam, & ab eâ Poetas Græcorum ordiri solere. Aratus : ἐκ διὸς ἀρχώμεσθα. Apollonius Rhodius : Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε. Ubi Scholiasta : ἔθος ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι. Secus atque Latini, quibus propositioni invocatio subjicitur. Sed horum invocationes non tam ex pietate, quam præscripto artis proficiscebantur. Et tales formulas hypocritæ & Athei præfigere sibi possunt. Veri προσκυνηταὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ invocant.

Cap. X.

Ad procemium. De Gregorio IX. VVelforum & Gibellinorum factione. Mutatione nominis.

GRegorius IX. electus est Pontifex anno Domini 1227. sedit 14. annos, menses tres, mortuus anno Domini 1241. successor Honorij III. Ipsi Cælestinus IV. successit. Patriâ fuit Anagninus, dictus antea Hugolinus, ex Comitibus Signiæ, Innocentij III. nepos. Ex Diacono Cardinale S. Eustathij Episcopus Osticnsis & Veliternus factus ab Innocentio III. Pontifex Romæ creatus prope Septizonium, in diaconia S. Luciæ in Septisolio ab octodecim Cardinalibus 18. Kal. April. die Sabbathi, ibidem & consecratus postridie, die dominico, coronatus ad S. Petrum, V. Kal. April. die Paschatos Sedit tempore Friderici II. Imp. quem & excommunicavit. Vide Platinam, Kranzium *lib.* 8. *c.* 2. & 6. Et chronicam Abbat. Ur. sperg. Unde factionis Gvelphorum pro Pontifice & Gibellinorum pro Imperatore in Italiâ, ortæ. P. Æmilius *lib.* 6. *hist.* Kranzius *lib.* 8. *c.* 8. Blondus *lib.* 7. *dec.* 2. De Guelfis & Gibellinis, exstat in operibus Bartoli tomo ultimo commentarius. Hæc nomina primitus cœperunt audiri à nato Christo 1245. cum contra Innocentium IV. â quo in concilio Lugdunensi excommunicatus bellum

in

in Italiâ gereret Fridericus II. Imp. Rom. Rem ex Nauclero referam, gener. at. XLI. *Nomen hoc, inquit, apud Pistorienses primo auditum. Sed utriusque origo antiquior sub Conrado III. qui circa annum Domini 1138. imperium inierat, in pugnâ quadam cœpit, cum Guelphi auxiliares copiæ symbolum sibi haberent,* Hie Wolff : *Qui verò sub Conradi Cæsaris signis erant,* Hie Waibling *clamarent : Cunradus enim suevus in pago vetustatis nobilitatis* Waiblingen *ferebatur nutritus. Hinc Cæsariani VVibelingi, Gibellini, Pontificis sociis Guelforum nomen mansit, quod olim VVelfus Italica auxilia contra Cæsarem Cunradum duxerat.* Hactenus Nauclerus. Confer omnino Peucerum in chronico Carionis *lib. 4.* De Welphis vide etiam Goldasti Alem. *rer. tom. 3. fol. 64. in fin.* Dictum est Hugolino nomen fuisse Gregorio. Et sæpe quæri solet, cur ex more mutent nomen Pontifices inaugurati. Platina originem â Sergio II. repetit, ob turpe familiæ suæ cognomen ; Os porci ; inde consvetudinem ad successores promanasse. Sed contradicit Onuphrius in vitâ ejus : *Quæ*, inquit, *hic Platina ex Martino tradit, Sergium II. primum fuisse, qui nomen mutaverit, apud neminem veterum auctorum inveni, imò ex Anastasio Bibliothecario, qui hoc tempore vixit, contrarium elicitur, eum scilicet, & ante Pontificatum Sergium vocatum esse.* Sergij ergo nomen semper habuit, os porci verò cognomen, & pontifex factus cognomen prænomine tantum retento omisit. Quod cæteris quoque Papis usu venit. Idem verò Onuphrius ad vitam Johannis XII. addit ex Gvilielmo Bibliothecario, Johannem XII. qui Platinæ est XIII. ante dictum nomine Octavianum, primum omnium omisso gentili nomine, tanqvam majestati Pontificiæ minus idoneo, se Johannem appellasse, ejusque exemplum secutos Pontifices sequentes, qui parum convenienś nomen habuissent, quod deinceps in legem perpetuam abierit ; Confirmasse autem maximè hanc consvetudinem Romanos Pontifices, ex Germaniâ electos, barbarorum nominum deformitate commotos, quales Bruno, Gerbertus, Svidegerus, Popus, Gebhardus, Anselmus, Hildebrandus & similes. P. Gregorius originem ad Petrum Apostolum refert, primum scilicet Pontificem, cujus nomen ipse Christus mutavit, cum anteâ Simon vocaretur. *Joh. Evang. c. 1. v. 43. Marc. c. 3.* Confer Montacutium orig. Eccl.

p. 1. n. 105. Ejusmodi nominum mutationes in sacris scripturis factæ fuere vel Deo jubente, vel hominum consensu, vel suo cujusque arbitrio. Vide Philonem libello elegantissimo de mutatis in scripturâ nominibus. Abrahamo, Jacobo Deus, Josepho Pharao, Josuæ Moyses mutavit nomen. In novo testamento Paulus ê Saulo, Barnabas ê Josepho, Petrus ê Simone, ê Jacobo & Johanne Boanarges. Apud Ethnicos solita sunt mutari post Deificationem, ut augustiores viderentur, sic Leda mulier, Nemesis Dea, Circe, Maria; Ino postquam Dea facta, Matutas nominata. Qui Æneas, postea Jupiter indiges Quirinus nominatus est, in gratiam Sabinorum. Ludov. Vives *ad Augustin. de civ. Dei lib. 2. c. 15.* Alex. ab Alexand. *lib. 6. c. 4.* Cæterum suspecta plerisqve gentibus fuit sine justâ causâ nominis mutatio. Eâqve ratione Philocomasium meretrix apud Plautum â servulo militis gloriosi reprehenditur quod se Glycerem dici fingeret. Jure Romano ad L. Corneliæ de falsis pœnam redigitur liber homo *l. 13. ff. ad L. Corn. de fals.* qui dolo malo novum sibi nomen imponit, quo quid alieni intercipiat, ut Paulus ait in *sentent. tit. ad L. Corn. lib. 5. t. 25.* & in *L. fals ff.* eod. sic uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Tullius *1. Philip.* servus qui se Fabiæ filiū ex Cejonij Commodi familiâ esse jactitabat flagellis cæsus est ac domino restitutus, Capitolino, *in Pertinace* teste. Meminit & Lucianus cujusdam, qui sæpius mutato nomine modo Pyrrhias, Dromo, Titius, modo Megacles, Megabysus, Protarchus appellabat. Meminit & Ambrosius *Epist. 32.* Auxentij hæretici, qui se Mercurium appellabat. Etiam adoptatos in adoptantis nomen transiisse vulgo notum est. Hinc eleganter ludit Tullius in Bruto, Stalenum seipsum adoptasse, ê Stelenо Aelium fecisse. Cum enim antea C. Stalenus Ligur diceretur, Caj. Aelium Pætum se voluit appellari. Adi Radulph. Fornerium *rer. quotid. lib. 6. cap. 17.* Sed servi nomen in domini erat potestate, quare & libero homine in servitutem redacto dominus nomen mutabat, ut Josepho Pharao, Danieli Nabuchodonosor. Vide Josippum historicum *antiq. lib. 2. cap. 3. & lib. 10. c. XI.*

CAP. XI.

Cap. XI.

Papa, servus servorum, ad procem. Decret.

Suspecta videtur P. Gregorio inscriptio Procemii, ubi Gregorius IX. Dominus salutatur, qui mox in salutatione servus servorum indigitatur. Et suspicatur hunc honoris titulum ab editoribus processisse. Et certum est, Pontifices non Dominos, sed Domnos, διασαλλάβως olim fuisse dictos, ut tradit Onuphrius Panvinius in interpretatione vocum Ecclesiasticarum, quæ obscuræ vel barbaræ videntur. Ita Epistolis Ivonis Carnutensis indigatamentum Domnii, quàm domini frequentius occurrit. Et testatur Albertus Kranzius *lib. 5. c. 34. 37. 38.* dum agit de pace & investituris concessis olim Imperatori, tunc summum pontificem non sanctissimum Dominum aut patrem, sed Domnum fuisse appellatum. Profitetur itaque Papa se servum servorum, modestissimo titulo, sunt qui putent hoc prædicatum, ut nunc loquimur, à Gregorio IX. introductum. Alii Gregorio I. adscribunt. Dicunt se servos servorum, non quorumlibet, sed servorum Dei, nempe Petri & Pauli, ut sentit glossa *ad c. quoties 9.* ad verba: *Et per te : caus. 1. q. 7.* Nempe ut Apostolus Paulus se nuncupat servum JesuChristi ad *Rom. 1. v. 1.* & Apost. Jacobus *c. 1. vers. 1.* Justinianus etiam servum se dixit ultimum DEi in *l. 1. de offic. Præf. potest. Afr.* Sic regnum suum nobilem servitutem Antigonus vocabat, ut refert *Aelian. 2. Var. hist. c. 20.* Sed mirari non nimis debuerat P. Gregorius, quod Papa vocetur dominus, cum & Deum appellari se gaudeat. *c. satis dist. 96.* Et glossa *in cap. fundament. de Elect. in 6.* ubi cum in textu esset, papam nulli hominum subesse, ita subjungit Glossa : *Et hac in parte papa non est homo, sed Dei vicarius. Papa est Deus in terris.* Bald. *in l. ult. C. sentent. rescin.* Decius *in c. 1. de Constit.* Felin. *in c. Ego N. de jurej.* Et quod facit, facit ut Deus, non ut homo. *c. Inter corporalia. De transl. Episc.* Parisius *consf. 63. n. 162. vol. 4.* Papa est quoddam numen, & quasi visibilem Deum præ se ferens. Factum à Papa reputari debet factum à Deo. *c. quant. de transl. Ep.* Confer auctorem Bruti fulminis *pag. m. 4.* Papa est monarcha absolu-

tus

tus, Rex Regum, imò solus in Orbe Imperator, ait Marta in Epistolâ Romæ scripta ad Paulum V. solus Rex, solus Princeps, Vice-Deus, omnipotentiâ præditus.

Cap. XII.

De Salutationibus, & apostolicâ benedictione, ad procœm.

Mos salutandi, & varii ritg

GRegorius, IX. salutem & apostolicam benedictionem impertitur Scholaribus Bononiensibus. Mos fuit ferè omnium gentium benè precari iis, quibus scribebant & quos adibant. De vario veterum salutationis ritu tractat Antonius Gvibertus in Polyhistore, *cap. 3.* Salutabantur Dii: Plautus *Bacchid. act 2. sc. ult.*

Deos atq; amicos iit salutatum ad forum.

Cicero pro Roscio Amerino: *Quod si luce canes quoque latrent; quum Deos salutatum aliqui venerint, opinor iis eruca suffringantur.* Cato de R. R. c. 2. *Paterfam. ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit.* Salutabantur templa & agri, ut Ovidius *lib. 3. & 15. Metamorph.* ostendit, sed & Elephantos in Mauritania post solennem adgressionem sidus salutasse Plin. *lib. 8. Natur. hist. cap. 1.* scribit. Salutabatur patria ab his, qui ex aliquâ peregrinatione salvi domum redibant. Plaut. Bacchid. *Act. 2. sc. 1. Herilis patria salve, quam ego biennio, postquam in Ephesum abii, nunc conspiciam lubens.* Virgil. 7. Aeneid.

Salve fatis mihi debita terra.

Erant matutinæ salutationes, earumque vox propria, AVE! Martial. lib. 1. Epig. 56.

Et matutinum portat ineptus ave.

Et lib. 4. Epig. 79.

Discurris totâ vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus, Ave.

Ave, salve, vale.

Hinc Xiphilinus in Adriano hoc ἑωθινὸν πρόσρημα vocat, Græcis χαῖρε usitatum. Lucianus τὸ ἑώθινον χαῖρε in dialogo, qui Φιλοψευδὴς inscribitur. Et ut advenientibus Ave vel Salve, sic abeuntibus, Vale dicebant, quæ & post cœnam, atque vespertina erat, sed & mortuis Vale dicebant. Servius lib. II. Aeneid. ad hoc Poetæ;

Sic ô, sic positum affati, discedite, corpus.

Sen-

Sensus, inquit, *talis est*, *prestate vos mihi funebre solatium*; *id est*, *affamini me*, *ut dici solet mortuis*, *Vale*, *vale*, *vale*. Vide Brisson. *de formulis pag.m.* 743. & *pag.* 34. 35. 36. Sed ut propius ad Gregorij nostri salutationem accedamus, constat rescriptorum & constitutionum initiis salutem adscribi consvevisse. In L. 2 C. T. de offic. Rect. prov. *Anthemi*, *Ave*, *carissime nobis*. Et l. 1. C. T. de priv. cor. qui in sac. pal. *Palatinis bene meritis salutem*. L. 6. C. T. eod. tit. *Ave Anthemi Karissime nobis*. L. 11. C. T. Qui petant. *Have Orphite*, *carissime nobis*. L. 39. C. eod. de Hæret. Diotimo suo salutem. L. 44. C. T. de hæret. *Have Donate K. NB. id est*, *Karissime nobis*. In l. 4. de oper. publ. *Have Felix*. *K. NB.* l. 5. Eod. tit *Have Cataline K. NB.* L. 5. & 6. C. T. de appellat. *Petronio Probiano suo Sal.* L. 32. Eod. Impp. Salutem dicunt ordini civitatis Karthaginis. L. 52. Eod. *Have Rufine K NB*. Junge Briss. de formul. *l. 3. p.m. 314*. Eadem ergo pietate & Pontifex Gregorius salutem Scholasticis & Doctoribus Bononiensibus precatur. Ubi tamen notandum, hanc salutationem eo non pertinere, ut videatur absolvisse ex communicatos, ut statuit Innocentius III. *cap. si aliquando.* 41. *X. de sent. Excomm.* Adde *Clement. fin. eod. tit.* *Impp. in Rescriptis salutabãt*

Non solum autem salute impertit Bononienses: Sed addit, & Apostolicam benedictionem. Apostolica auditâ formulâ, quâ Apostoli utebantur. Actor. c. 15. v. 23. ibi. τοῖς ἀδελφοῖς τοῖς ἐξ ἐθνῶν χαίρειν. Hac formulâ utitur & Jacobus *c. 1. v. 1.* Et fertur Cleon primus in Epistolis χαίρειν usurpasse, ut habent Lucianus pro Lapso in salutando, & Laertius in Platone: primum autem eo rejecto, εὖ πράττειν Platonem prætulisse, iidem referunt. Hoc χαίρειν explicat Apostolus 1. *ad Corin. 1. vers. 3.* Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & domino Jesu Christo. Eadem formula habetur etiam in posteriori *ad Corinth. c. 1. v. 3.* ad Galat. *c. 1. v. 3.* ad Ephesos *c. 1. v. 2.* ad Philippenses *c. 1. v. 2.* ad Colossenses *c. 1. v. 2.* Priori ad Thessalonicenses *c. 1. v. 1.* & Posteriori *c. 1 v. 2.* Priori ad Timoth. *c. 1. v. 2.* & posteriori *c. 1. v. 2.* Ad Titum *c. 1. v. 4.* Ad Philemonem *c. 1. vers. 3.* Ubi per pacem Hebræorum more, omnia prospera intelliguntur, ut notat Grotius. Apostoli Petri formula, *1. Petri 1. v. 2.* χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη πληθυνθείη. *Gratia & pax vobis* *Apostolica benedictio*

multiplicentur. Ita & *2. P. 1. v. 2.* Formula Johannis *2. Joh. 1. v. 3.* Ἔϛαι μεθ᾽ ὑμῶν χάρις ἔλεος, εἰρήνη παρὰ Θεοῦ πατρὸς καὶ παρὰ Ἰησοῦ Χριϛοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ πατρὸς, ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἀγάπῃ. Et in fine *Epistolæ 3. Pax tibi, salutant te amici, saluta amicos nominatim.* Judæ Apostoli formula *v. 2.* *Misericordia vobis & pax & caritas adimpleantur.*

Porro formulam salutandi exigebant olim Prælati à præsentantibus exemtis; *Salutem & obedientiam.* Qualem formulam inter excessus Prælatorum refert Clemens V. in concilio Viennensi. Nam si scribentes superioribus sunt Exempti, non tenentur obedientiam profiteri. *cap. cum olim x. de privil.* si verò non sint exemti, satis est, si ab initio obedientiam promiserint. *can. Ne Dei. 43. x. de Simon.* Denique non potest etiam inferior scribens superiori salutem & benedictionem dare, quia major minorem non benedicit. *can. Cum inferior. de Major. & obed.*

Major benedicit minori, nō contra.

Cap. XIII.

De Raymundo.

QVod Cneius quidam Fabius juri Flaviano, Papyrius Papyriano; *l. 2. §. deinde ex his leg. de orig. Jur.* Gregorius quidam & Hermogenes Gregoriano & Hermogeniano, in colligendis constitutionibus ab Hadriano inde ad Valerianum & à Claudio ad Diocletianum. : Quod Antiochus Ex-Præfecto Prætorio & Ex Consule cum suis adjutoribus septem constitutionibus à Constantino ad Theodosium usque in Codicem Theodosianum colligendis, quod Tribonianus Justiniano, hoc operæ præstitit Raymundus à pennâ forti Gregorij Capellanus Gregorianæ compilationi. Martinus Polonus, qui & Innocentij III. & Honorii Compilationum meminit, hac de re ita : *Hic Papa per fratrem Raymundum ordinis Prædicatorum Pœnitentiarium & Capellanum ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit unum volumen, mandans ubique Doctoribus illo uti.* Fuit hic Raymundus Barcinonensis Catalannus, ut ait Platina in Gregorio IX. & Sabellicus, miraculis in vitâ & morte clarus, in divinis legibus, & humanis peritissimus, si fides Joh. Ludovico Wibaldo, *de verit. contrit.* Dixi, fuisse Pœnitentiarium. Nempe unum ex illis. Summus enim pœnitentiarius Cardinalis est, qui, post

Pœnitentiarius.

Vice-

Vice-Cancellarium & Camerarium summi Pontificis, dignitate major est, & habet sub se alios pœnitentiarios in Ecclesiis D. Petri in Vaticano, Virginis Mariæ majoris, & Johannis in Laterano, ut scribit Vestrius *lib. 1. Introd. in aul. Rom. act. c. 2.* Vide P. Gregor. *15. Syntagm. c. 42. n. 15. & 16.* Anastasius Bibliothecarius tradit, ex Presbyteris Romanæ Ecclesiæ quosdam super pœnitentes constitutos fuisse â Simplicio Papâ. Vide Onuphrium *in Interpretat. vocum obscurarum.* Cœterum statuit Gregorius noster in fine proœmij hanc Raymundi Decretalium compilationem, aliis antiquatis, recipiendam & in scholis explicandam, & in posterum aliam nullam faciendam esse sine sedis Apostolicæ auctoritate. Imitatus Justinianum *l. 1. §. in tantum. de vet. jure enucl.* ubi abrogat auctoritatem Libris JCtorum & Constitutionum Cæsarum, nisi quatenus in corpus juris civilis ex illis translata fuerint.

Cap. XIV.

Ad Rubricam de Summâ Trinitate.

INcipit Pontifex de summâ Trinitate διὰ τὸ τίμιον, ut rectè Cujacius. Tractat de eâ Canon Apostolorum 48. 49. Concilium CPolitanum *can. 1. & 5.* Concilium Ephesinum *c. 7.* Carthaginense *can. 2.* Concilij VII. canon primus. Johannes Antiochenus collectione canonum *tit. 36. can. 50.* Arsenius Monachus synopsi canonum *can. 1.* Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ *tit. 1. & 2.* Photius Nomocanone *lib. 1. tit. 1.* Codex Theodosianus *lib. 16. tit. 1.* Codex Justin. *lib. 1. tit. 1. l. 1. 5. 6. 7. 8. 9.* Basilica *lib. 1. tit. 1. c. 1.* Ansegisus Capitularibus Caroli & Ludovici *lib. 1. t. 32.* Michael Attaliata Synopsi *lib. 3.* Apud Gratianum *can. ult. dist. 3. de Consecrat. cap. ult. dist. 5. cap. pen. dist. 22. per totum. dist. 23. c. qui Episcopus.* In primâ & alterâ compilatione decretalium non habetur. Sed in Bonifacij sexto, Clementinis & libro decretalium septimo positus est hic titulus.

Vox Trinitatis non Synodo Alexandrinâ primum nempe anno Christi 315. audita vel post Nicænam Synodum ab Episcopis, Athanasio & Eusebio Alexandriæ congregatis, qui ὁμοούσιον τῷ πατρὶ καὶ υἱῷ τὸ ἅγιον πνεῦμα ὡμολόγησαν, καὶ τριάδα ὠνόμασαν uti Sozomenus tradit *lib. 5. c. 11.* Sed Justino martyre, scriptore longè an- *Vox trinitatis quando usurpari cœpta*

antiquiore, libro de expositione fidei, fuit usurpata. Verba Justini: *Μονὰς γὰρ ἐν τριάδι νοεῖται, καὶ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται.* Et ne locum Justini in dubium voces, quasi de Trinitate apertius loqvatur, quàm solent ejus ævi scriptores alii, etiam Lucianus, ejusdem fermè temporis scriptor non minus apertè loquens Christianis more suo illudit: Verba ejus in dialogo, qui inscribitur *φιλόπατρις ἢ διδασκόμενος*, ita habeant: *Κρ. καὶ τίνα ἐπομόσωμαί γε. Τρ. ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία. Vide Fabrot. ad parat. Cujac. h.*

Hic articulus fidei nostræ ab initio fermè Ecclesiæ usque ad hæc postrema tempora hæresibus fuit obnoxius. Et quidem ab Arianis ὁμοουσία tam in oriente, quàm occidente impugnata est. Quæ fuit causa, cur antiqvum illum glorificationis hymnum;

Hymnus: Gloria Patri &c.

Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, semper in Ecclesiâ decantari solitum, Synodus Nicæna augeri decreverit hoc verficulo: *Sicut erat in principio* &c. Quem statim receptum fuisse constat ex Vasionensi concilio. Et quidem occidentalis Ecclesia in fine cujusque Psalmi hunc hymnum subjunxit: Orientalis verò post completos Psalmos & Anthiphonas, ut ex Cassiano *lib. 1. c. 8.* repetit Innocentius Cironius.

Fides catholica.

Altera pars rubricæ est, de fide catholicâ. Videtur ὕστερον πρότερον. Fides enim catholica, quatenus accipitur pro collectione credendorum seu symbolo etiam articulum de Trinitate complectitur. Sed id factum forsan est per excellentiam, quemadmodum illud Homericum: *Τρῶας τε καὶ Ἕκτορα.* Et apud Aristophanem: *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.* Simile forsan & hoc Salvatoris: *εἴπατε τοῖς μαθηταῖς καὶ τῷ Πέτρῳ. Marci 16. 7.* Et, *σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ, Praxi Apostol. 1. 14.* Est autem fides catholica, ut Theodosius Imperator finit. *l. 2. C. T. de Fide cath.* Quæ secundum Apostolicam disciplinam & Evangelicam doctrinam Patris & Filij & Spiritus S. unam Deitatem sub parili majestate & sub piâ Trinitate credit. Item, *quæ unius majestatis atque virtutis Patrem, Filium & Spiritum S. confitetur; unius gloriæ, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione faciens: Sed Trinitatis ordinem, Personarum assertionem & divinitatis unitatem credens.* Junge *L. 6. C. T. de hæreticis.*

Item

Item ea religio catholica est, quam & Divum Petrum Apostolum Romanis tradidisse constat. *l. 2. C. T. h. t.* Cæteri omnes ut manifesti hæretici expelluntur ab Ecclesiis *l. 5. C. T. h. t.*

CAP. XV.

De Concilio Lateranensi. Ad Tit. de Sum. Trin.

IN hoc titulo primo duo habentur capitula, ex concilio Lateranensi quinto desumta, quod generale appellatur, ad differentiam antiquioris Lateranensis, sub Alexandro III. Præfuit illi Innocentius III. duo Patriarchæ, CPolitanus & Hierosolymitanus. Archi-episcopi Græci & Latini LXX. Episcopi 400. Abbates XII. Priores conventuales 800. Habitum est circa annum Domini 1215. actumque in eo de septuaginta capitibus contra hæreses, & ad mores & statum Ecclesiæ pertinentibus, tractatumque de recuperanda Hierosolyma. Erat olim Romæ, in Cælio monte palatium familiæ nobilissimæ Lateranorum, quorum meminit Juvenalis *Sat. 10.*

egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota choors.

Julius Lateranus Consul designatus jussu Neronis interfectus est. *Jul. Capit. Aurel.* Ubi ædes hæ erant, postea divi Johannis Basilica ædificata est, antehac Basilica Constantini dicta, quod fuerit à Constantino magno donata Sylvestro Pontifici, si fides Blondo, *Instaur. Ital.* Hic loci septem Synodi coactæ fuere. Prima sub Nicolao II. Sabaudo, in quo damnatus error Berengarij & Pseudo Pontifex, præscriptâque eligendi summum Pontificem formâ per solos Cardinales *can. In nomine Domini dist. 23.* Platina in *Nicol.* Secunda sub Calixto II. Burgundo, coactis 900. Patribus, in quâ contra Turcam constitutum, & decreta contra Imperatores Germanorum à prioribus Pontificibus stabilita & ademtæ concubinæ Sacerdotibus & Clericis. Alb. Kranzius *lib. 3. c. 40.* Tertia Synodus habita est sub Innocentio II. circiter annum domini 1135. coactis mille patribus, in quâ potissimum decretum, ne quis in prædiis sacerdotalibus sibi successorem constituere possit. Otto Frising. *lib. 7. c. 23.* Quarta sub Alexandro III. Pontifice, circiter A. D. 1170. In quâ, ne quis Turcis arma subministraret cautum, item-

que ſacerdotiorum pluralitas prohibita. *c.3. de cler. non reſid.* eorumque ante vacationem promiſſio *c.2. & 3. & c. Ex tenore de conceſſ. preb.* Prælatis prohibitæ epulæ lautiores, venationes, & hujus modi plura. *c. cum apoſtolus. X. de cenſib.* Quinta maxima Synodus ſub Innocentio III. de quâ diximus. Vide *P. Æmilium lib. 6.* Sexta Lateranenſis ſub Eugenio IV. Veneto peracta anno 1446. teſte Platinâ, quâ actum, ut Germani, qui nec Romano, nec Allobrogi Principi adhærebant, reducerentur ad unitatem. Septima ſub Julio II. contra Turcas, quam tranſtulerunt Piſas, ut ſcribit P. Jovius. Sed re infectâ, tractatuque habito ſuper derogatione pragmaticæ ſanctionis in aliquibus, tempore Leonis X. ejus ſucceſſoris & Franciſci. I. Regis Galliarum, concluſum hoc fuit concilium & conventiones ſeu concordata ibi publicata & approbata. *Vide Proœmium Concordatorum.*

Cap. XVI.

Ad c. firmiter 1. X. de SS. Trin. De deſcenſu Chriſti ad inferos.

IN hoc concilio edita fuit celebris illa Decretalis : *Firmiter*, quam doctor ſubtilis, magnique nominis Scotus *in 2. diſt. 4. ſent.* velut explicatius loquentem, Symbolis omnibus anteferre non dubitavit. Ajunt concilij Patres, Chriſtum deſcendiſſe ad inferos in animâ & reſurrexiſſe in carne. Theodorus Balſamo Patriarcha Antiochiæ in Reſponſis ad interrogata canonica Patriarchæ Alexandrini, Marci *lib. 5. Juris Græco-Romani* refert Johannis Damaſceni ſententiam his verbis : ὁ μέγας ἐν ἁγίοις Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς, ἐν τάφῳ (φησὶ) σωματικῶς. ἐν ᾅδῃ δὲ, μετὰ ψυχῆς, ὡς θεὸς, ἐν παραδείσῳ δὲ μετὰ λῃστοῦ, καὶ ἐν θρόνῳ ὑπῆρχες Χριστὲ μετὰ πατρὸς καὶ πνεύματος, πάντα πληρῶν, ὁ ἀπερίγραπτος. Id eſt : *In ſepulcro corporaliter, in inferno autem cum animo, ut Deus : In paradiſo vero cum latrone, & in throno fuiſti, Chriſte, cum Patre & Spiritu, omnia implens, qui incircumſcriptus.* Vide Montacutium orig. Eccleſ. tomi prior. parte poſteriore *p. 440.*

Cap. XVII.

Cap. XVII.

De Transſubſtantiatione.

AIt Innocentius III. *c. 1. §. una verò. X. de S. Trin.* transſubſtantiari panem in corpus & vinum in ſangvinem. Vocabulum transſubſtantiationis novum eſt, & Scotus, Scholaſticorum alpha teſtatur ipſe, dogma hoc ante concilium Lateranenſe non fuiſſe dogma fidei, cui adſtipulatur Gabriel Biel *lib. 4. de Miſſa c. 2. §. 3.* ſanè Patres uſi ſunt voce μεταποιήσεως, non tamen ratione eſſentiæ abſolutæ elementorum externorum, ſed relatæ, reſpicientes | uſus vulgaris in myſticum transmutationem. Fruſtra ergo eſt Wagenereccius *ad hoc cap. 1.* qui de vocabuli quidem novitate concedit nobis, illud concilio Lateranenſi primum uſitatum eſſe, rem autem ipſam pro dogmate fidei ſemper in Eccleſia fuiſſe. Contrarium Theodoretus *dial. 2. c. 24.* tradit: οὐ τῆς εἰκόνας ἐξίςαται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ σχήματος καὶ εἴδους. Et reſpondens objectioni Eutychiani hæretici ait: *Sicut per ſanctificationem panis non recedit à naturâ ſuâ panis, ſed manet in ſubſtantiâ & figurâ & formâ priori; Ita corpus Chriſti habet prius* εἶδος, σχῆμα, καὶ περιγραφὴν, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν τὴν τοῦ σώματος οὐσίαν. Eadem mens eſt Gelaſio Pontifici *libro de duab. nat.* contra Eutychen, ubi ſtatuit manere naturam panis in Euchariſtiâ. Et Patriarcha Antiochenus apud Photium, ubi habet corpus Chriſti, quod à fidelibus accipitur, non recedere, ἐκ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας.

Cap. XIIX.

De Abbate Joachimo & Almarico ad c. 2. de SS. Trin.

IMitatur Compilator Decretalium Codicis Juſtiniani ordinem, de ſummâ Trinitate ordiendo. Abeſt hic titulus à collectionibus tribus prioribus. Sed tertiam illam intelligo, quæ juſſu Innocentii III. à Bernardo Compoſtellano adornata eſt: In capite II. damnatur libellus Joachimi Abbatis Florenſis in Calabriâ, quem contra Petrum Lombardum de unitate ſeu eſſentiâ Trinitatis ſcripſerat. *Joachimus.*

rat. Meminit Matthæus Paris in Henrico II. Platina in Innocentio III. Itaque circa annum Christi 1200. prodiit ille Joachimus, vir valdè eruditus, & divinandi dono præditus, quo de Vincentius *in* speculo *lib. 29.* Anton. *lib. 17. par. 2. c. 1. §. 12.* Chalcocond. *lib. 6. de reb. Turcicis.* Wolf. *lect. memor. centu. 12.* Sixtus Senensis in Bibliotheca. Hic peculiari libello Petro Lombardo imputabat, quasi, dum doceret unam rem esse, quæ veraciter sit Pater, Filius & Spiritus S. adeoque tres esse personas, [a] ideò trinitate inducere quandam quaternitatem, tres nempe personas & communem essentiam, quasi quartam. Hæc lis sub Alexandro III. orta est. Qui Pontifex cum persvasum haberet, Lombardum contra veram Christi humanitatem docere, Abbati auctor fuit, ut in Lombardum scriberet: Sed cum Synodo Lutetiæ congregatæ sub Archiepiscopo Senonensi Lombardus absolveretur, demum Innocentius III. concilio Lateranensi libellum Joachimi damnat, nullâ tamen hæreseos notâ in auctorem expetente, propterea, quod sententiam suam Ecclesiæ censuræ submisisset. Existere etiam epistolam Honorii III. ad Episcopum Lucanum scribit ex Gabriele Bario Wolfius *lect. mem. d. loc.* qui Joachimum defendat. Alia fuit sors Almarici Carnotensis, cujus in fine meminit Innocentius. Eum non tàm hæreticæ, quàm insanæ, ut Pontifex loquitur, doctrinæ condemnat. Qui Albigensibus adhæsisse fertur. Ejus mœrore animi, ob damnata dogmata sua mortui, post editam constitutionem Lateranensis concilii, ossa exhumata & combusta fuerunt, jussu Philippi Augusti, Regis Franciæ. Vide Rigordum in vitâ Philippi Augusti Anno 1209. Robertum in Chronico Altissiodorensi anno 1210. Martin. Polonum & Platinam, *Innocent. III.*

Abbatis opinio jussu Pontificis per scripta contra P. Lombardum.

Almaricus

Albigenses.

FINIS Eclogæ primæ.

Amœnitatum Juris Canonici menstruarum September seu Ecloga secunda.

Cap. I.

Hæreticos post mortem condemnari.

QVod fine præcedentis Eclogæ de Alcmario recitavi, ansam subministrat videndi, an hæretici post mortem etiam damnandi veniant? Jure Civili in hæreticos pœna capitalis non est statuta, quod solidè & eruditè admonuit Justus Meyerus, JCtus Argentoratensis tractatu Scioppii classico opposito. Puniuntur tamen ipsi, sed diverso supplicii genere. Quare utut mortuorum doctrina damnari debeat, ne forte successu temporis sectarios inveniat, impunitate auctoris sui confisos, ipsos tamen damnari & sententiam in cineres & ossa ferri, excedere humanitatis leges & modum videtur. Quo pertinet *can. sane. 3. caus. 24. qu. 11.* ubi in fine pro: *ex nomine*, lege *ex homine*. Sed defendunt exemplo criminis Majestatis, quo utuntur Impp. *in l. 4. C. de Haeret. ibi. §. 4.* in mortem quoque inquisitio extendatur. Nam si in criminibus Majestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito hic debet subire tale judicium. His jungi potest etiam *l. 2. C. de Apostatis*. Defenditur etiam exemplis & re judicatâ. Ducentis annis post mortem hæreseos damnatus est Origenes teste Socrate *lib. VI. cap. XV*. In concilio generali V. cum diutius agitata fuisset hæc quæstio, tandem definita est in causa Theodori, hæreticos posse damnari post mortem, ex gestis concilii, *collat. V.* In quâ synodo cum quæreretur, an sit mortuis denunciandum anathema, Eutychius hoc affirmavit exemplo Josiæ Regis, quem Sacerdotum idololatricorum cineres effodisse legatur, *2. Regum. 23. vers. 16. & 20.* Videatur

Juris Civilis sanctio.

Emendatio.

D Eya-

Evagrius *lib. 4. cap. 37.* Johannis Wiclefi ossa post obitum publicè cremata. *Chron. Altissiodor.* Barlaamus & Acyndinus monachi post mortem excommunicati. Cantac. *l. 4. c. 43.* *Vide* Augustinum epist. *48. & 50.*

CAP. II.

De Concilio Meldensi ad c. 1. de Constit.

DEsumtum est hoc capitulum ex Concilio Meldensi, habito sub Carolo Calvo, circa annum Christi 845. Meldarum civitas est in Galliâ Celticâ Lugdunensi, in vernaculâ dicitur Meaux. Exstat & apud Burchardum *lib. 1. c. 16.* Jvonem Carnotensem *p. 5. c. 171.* Et in primâ compilatione decretalium. *c. 1. h. t.* Sunt & alia ex eodem concilio deprompta loca, in corpore Canonico. V. G. Can. si quis. *c. 7. q. 1. can.* In dominicis diebus. *c. 9. q. 2. c.* quincuque ex Clero. *c. 23. q. 8. c.* Ut Episcopi. de pœnit. dist. 5. & alij canones. Videtur autem hic canon propriè pertinere ad observationem canonum Gallicanorum, quorum meminit Papa Hormisda in c. si quis diaconus. dist. 50. Hos enim tanquam superfluos & inutiles à quibusdam neotericis Romanis neglectos fuisse conqueritur Agobardus Lugdunensis in libello contra legem Gundebaldi ad Ludovicum Imperatorem : Et in libello de dispensatione rei Ecclesiasticæ : Sed melius est, inquit, horum canonum sequi auctoritatem, quàm proprium sensum. Hoc enim est quod hoc capitulo 1. dicitur: Nemo suo sensu, sed canonum, nempe Gallicanorum auctoritate ducatur. Et ita sentit Johannes à Costa, vir doctissimus : Sed aliter mihi videtur. Nempe cùm Episcopi in concilio Meldensi condidissent LXXIX. canones, jussit Rex eos ad se deferri, & in generali conventu in villâ Sparnaco ad Matronam fluvium examinari, in quo ex Procerum regni consilio statutum est XIX. tantum ex illis canonibus observandos esse : Ad hos igitur videtur pertinere, quod in hoc capitulo primo per modum sanctionis ad observationem reliquorum canonum hic statutum fuit. Vide P. de Marca *lib. 6. de concor. sacerd. & imp. 28.*

Cap. III.

Ad cap. II. de Const.

INscriptio est : Gregorius in Registro : Rectius ; Regesto. De Regesto supra caput 8. Gregorius hic primus ejus nominis est, summus Pontifex, Gordiani Senatoris & Sylviæ filius, Romanus Monachus, postea Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, & Apocrisiarius CPoli apud Imperatorem Mauritium, ut Onuphrius ait & Platina : Electus, in Pontificatum anno Domini 590. Obiit IV. Idus Martias anno 604. Vir eruditus & pius & in sanctorum numerum relatus. In hoc capitulo post verbum ; *Cognoscentes*, apud Gregorium ita sequitur: *Cognoscentes qualis fraternitatem vestram Zelus pro christianis mancipiis, quæ Judæi de Galliarum finibus emunt, accenderit : adeo nobis sollicitudinem vestram placuisse signamus, ut inhibendos eos ab hujusmodi negotiatione nostra etiam deliberatio judicaret.* Et post alia : *Si autem quædam ex iisdem mancipiis talem ægritudinem fortasse incurrerent, ut intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda sollicitudo est, ut dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur. Quia rem* & cætera, quæ sequuntur apud Raymundum. Pertinet ergo Epistola Gregorij ad prohibitam Judæis mancipij christiani emtionem atque adeo ad exornandum tit. C. utroque. ne mancip christia. Cæterum in hoc capitulo occurrunt hæ voculæ : *Et infra* : Quæ ubicunque in hoc corpore Juris reperiuntur, denotant partem aliquam integræ alicujus Epistolæ apponi solummodo, non integram illam. Gregoriana enim hæc editio & decretalium collectio, prolixitatem Epistolarum, quæ in prioribus compilationibus erat, recidit & ea tantum retinuit, quæ ad decisionem causæ pertinuerunt. Quare Raymundus ex prioribus editionibus retinuit initia epistolarum, propter allegationes glossæ veteris, & addit ; *Et infra*, ut ostendat, â se quædam esse prætermissa, quæ ad rem non videbantur facere. Initia igitur capitum propter commentarios, & glossas non mutavit, quæ tum in manibus habebantur, ut certius ad textum recurri posset. Vide Joh. Andreæ *ad cap. Nobis. x. de Jure Patronatus.* Neque nova hæc Raymundi inventio est, notandi ex-

cerpta; sed jam olim usurpata à compilatoribus constitutionum & rescriptorum Imperatoriorum, ubi partem tantum aliquam retulerunt ad rem pertinentem. Usitatæ enim illis particulæ sunt: *Post alia*, ut liquet ex Codice Theodosiano in inscriptione *L. 6. de cognit. L. 3. de feriis. l. 4. de delat. l. 2. de temp. curs. l. 1. de act.* Interdum etiam adhibent *ἀντὶ τοῦ*, *Et infra*, verba; *Inter cetera.* In Codice Justiniano, *L. 3. In quibus caus. pig.* Pars ex rescripto Alex. Aug. ad Demosthenem. Et *in l. 4. C. de quæst.* Pars ex rescripto Antonini. Et alibi: *Pars ex epistolâ*, ut in l. 13. de fidej. l. 6. de præsc. lon. tem. Et in Pandectis: *Pars literarum*, ut l. 38. de Judic. Interdum *caput ex Rescripto*, ut l. 1. ff. de interdic. Vide Bart. *ad L. Gallus. ff. de lib. & post. §. credendum n. 5.*

CAP. IV.

Ad inscriptionem c. 9. de constitut. Et de deputato ad mensam.

INnocentius III. hanc decretalem misit Clugiensi Episcopo. Quis ille? Legitur aliàs, Flugiensi, Dugiensi, sed nihili id est. Retinendus Clugiensis. Clugia, Choggia, civitas Ducatus Veneti, in quam translatus fuit Episcopatus à Malamocco, sede Ducum Venetorum, propter maris inundationes, cum iisdem privilegiis & jurisdictione Anno 1100. ut habet chronicon Venetum: Sed Franciscus Sansovinus in historiâ Venetâ hoc factum fuisse ait anno Christi 1009. Mentionem hujus insulæ Clugiæ positæ in mari Adriatico facit Carolus Crassus, Imperator in quadam Epistola ad Venetos, ut refert Sansovinus, eamque Clugium nominat, teste Cironio. Incipit capitulum: *Cum M. Ferrariensis.* litera M. Martinum repræsentat, qvod habetur apud Innocentium III. *lib. 1. Epist. 91.* Exstat hæc decretalis integra in Compilatione III. c. 5. Fit autem in hoc capitulo mentio mensæ bonorum. Olim Clerici Ecclesiarum communi mensâ fruebantur. *can. In omnibus de Consecr. dist. 5. c. quoniam. Infra de vitâ & hon. cler. can. præter hoc. §. præcipientes. dist. 32. Idem in conc. Tolet. IV. c. 24. in c. omnis ætas caus. 12. q. 1.* eodemque loco dormiebant. Sed posterioribus seculis solutâ communione vitæ, ubi præbendæ distributæ inter clericos, pars certa redituum in

com-

commune relicta, quæ pars communis mensa dicta est, imagò scilicet pristinæ communionis. Hujusce instituti exemplum est, quod in transitu regii exercitus, devastatis segetibus in pago Ambienfi, cum quidam Canonici Ambienses, qui fructus præbendarum suarum percipiebant his locis, quibus damnum illatum, erat peterent, ut fructus præbendarum refunderentur de communi, mandatum fuit ut collectis reliquiis fructuum qui remanserant, id quod deesset ad integrandas præbendas, de communi capitulo suppleretur. Collectis itaque fructibus non sine miraculo centuplū inventum fuisse, narrat Rigordus in gestis Philippi A. *ad annum 1184.*

CAP. V.

De communione Clericorum.

Diximus de communi Clericorum victu. Et quidem tempore Apostolorum omnia in commune conferebantur, & singulis, prout necessarium erat, distribuebatur. *Act.2.44.& 45. Et c.6.1.& 2* Postea autem tempore persecutionum Christianis dispersis, & in eremum fugientibus, separatim vivere cœptum est, donec in cœnobia collecti communem vitam denuò in usum revocarint, ut scribit Gregorius Nazianzenus in Monodiis. Exstat regula B. Basilij, & liber Philonis Judæi περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, de vitâ contemplatoriâ aut deprecatorum virtutibus, quem librum Eusebius *lib. 2. hist. Eccles.* testatur fuisse scriptum de christianis, & probat Hieronymus. Ferunt primum Basilium formulam cœnobiorum Eremitis dedisse circa *annum D.350.* Inde Benedictum Nurcinum Monachos liberè vagantes monasterio sub regulari constitutione conclusisse *circa A. D.530.* Polyd. Virg. *lib.7.c.5.* Volaterr. *lib.21.* Horum exemplo aliæ postmodo familiæ religiosæ congregatæ. Et ait P. Gregorius, hic, *quod religio divitias peperit, & ex illis paulatim solvi cœpisse societatis vinculum, & Ecclesiarum bona partim inter singulos divisa, partim in communi retenta*, & præbendæ distributæ præsentibus, quandoque & absentibus. Felin. *in c. Jacobus n. 1. de Simon.* Panorm. *ad c. licet. de prebend.* In quibusdam præbendis bona seorsum assignata, ut in hoc capitulo vineæ, alia communia relicta omnibus, quæ mensæ dicebantur, quasi pro communi victu eorum, quorum mensa dicitur esse. Divisa quoque fuere bona

communia inter Episcopum, vel Abbatem, & capitulum seu monasterium, unde distinctio bonorum mēsæ Prælati, & bonorum mensæ capituli, ut *c. possessiones.10.& cap. ut super. 8. de reb. Eccl. non alien.*

Canonici mensæ. Quid verò est mensæ Pampilonensis Ecclesiæ Archidiaconus apud Innocentium III. *libro 2. Epist. 121.* Nimirum Monachi, vel Canonici regulares communi mensâ fruuntur. Idem ergo est Archidiaconus mensæ, qui Archidiaconus coetus. Idem enim in Canonicis regularibus est mensa, quod secularibus chorus, quem hi communem habent solum, & nihil præterea: Et qui regulares iidem & commensales sunt. At quia in primâ Ecclesiâ Diaconi circa mensas occupati erant, ut ex eorum institutione apparet *Act. 6. v. 2.* ib. οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις, ideo verius est Archidiaconum mensæ appellari, qui canonicorum reditus administrabat. Vide Bosquetum *notis ad lib. 2. Regesti Epist. 121.*

Cap. VI.

Ad cap. Ecclesiæ S. Mariæ. 10. h. t.

Ecclesia S. Mariæ. Ecclesia hæc S. Mariæ est in viâ latâ, Romæ *c. 3. Ut lite pend. nih. innn.* & est in septimâ regione urbis, ut ait Publius Victor, libello de Urbis Romæ regionibus, & est una ex Ecclesiis, de quibus Cardinales Diaconi accipiunt titulos, ut habetur in libro provinciali Romanæ sedis. Dicitur autem in viâ latâ, ad differentiam aliarum Ecclesiarum, nominis sanctæ Mariæ, ut *S. Mariæ in porticu*, S. Mariæ *in Cosmedin*. S. Mariæ *novæ*. S. Mariæ *in Dominicâ*. S. Mariæ *majoris*, quæ habet Archipresbyterum, qui debet esse Cardinalis, eaque designat Antiochenam Ecclesiam. At S. Mariæ *trans Tiberim* assignatus titulus est Presbyteri Cardinalis.

Capitulum hoc habetur integrum *in cap. 5. de foro compet.* & apud ipsum Innocentium *lib. 2. Regist. Ep. 228.* ex quâ discimus statutum, de quo in hac decretali, factum esse à quodam Senatore urbis Romæ Benedicto Corosomo. Qui quidem Corosomus primicerium Judicum delegaverat. Ubi enim Clerici sunt actor & reus, causas civiles prosequuntur in urbe, coram Judicibus per sedem apostolicam institutis, ex delegatione Senatorum Jurisdictionem habentium ab eâdem sede apostolicâ, ut loquitur Innocentius *in d. Epist.*

Benedictus Corosomus

Epist. Hi Senatores sæpius tentarunt Regalium occupationem adversus summos Pontifices, atque perpetua fuit per annos plus minus quinquaginta inter populum Pontificesque Romanos discordia ob causam regiminis civilis: Populus enim summoto ab administratione Pontifice Senatores qui reip. præessent, cum Patricio summâ cum potestate creabant, teste Othone Fisingensi *lib. 7. histor. & lib. 1. de gest. Imperatoris Friderici.* Cujus rei occasione Innocentius II. & Cælestinus II. animi dolore defecerunt, Lucius II. pene est interfectus, Eugenius III. & Alexander & Lucius III. urbe pulsi, Urbanus III. & Gregorius VIII. exules fuere. Narrat & Platina in Joh. XIII. tempore quo adeptus est Johannes sedem, nempe anno 599 fuisse tunc Romæ duos annuos Consules, ex his unum ex nobilitate Præfectum, qui jus populo diceret, ex plebe autem duodecim Decarchones creari solitos, qui vicem Senatus gererent, idque tamdiu donec utrâque parte dissidij pertæsâ, populus Romanus cum populari suo, Pontifice Clemente III. pacem hisce conditionibus fecit, ut Senatoribus confirmatis, Præfecto sublato, in ejus locum Patricius ut antea crearetur. At Nicolaus III. qui sedem adeptus est anno 1277. Carolo Siciliæ Rege vicario suo, seu Senatore senatoriam dignitatem in se transtulit, vetuitque perpetuo edicto, ne quis Rex aut Princeps ipsum magistratum petere aut obire auderet, teste Platina. Exstat constitutio integra Nicolai III. *in c. fundamenta. 17 de Elect. in 6.* Fuit hoc statutum nihil aliud, quam edictum promulgatum â Basilio Præfecto prætorio Regis Odoacris in Italiâ, temporibus Papæ Simplicij. Vide *Canon. 1. dist. 96.* undè disces jamdudum hoc edictum Basilij rejectum fuisse â Synodo Romanâ sub Symmacho Papâ. Hodie nullus Romæ Senatus est, præter unum Pontificis, qui ex Cardinalibus constat; Sed tantummodo nominetenus unum in urbe dictum Senatorem, qui Præfectus urbis est, seu Prætor urbanus, â summo Pontifice factus, qui residet in clivo Capitolino Romæ & Romanis civibus ordinariâ facultate & potest te jus dicit, habetque tres vicarios, seu locum tenentes quos vocant collaterales, qui privatis præsunt judiciis, quorum unus primus, alter secundus, tertius l. trunculator appellatur, â quorum altero si appelletur, judex aditur dictus Capitolinus, qui omnium appel-

appellationum ordinarius Judex est, à cujus sententiâ si priori fit conformis, non appellatur. Talis igitur in nostro textu erat Basilius. Prætor urbis tempore Innocentij, qui statutum condiderat, ab Innocentio reprobatum.

Cap. VII.

Ad cap. XI. de Constit.

INscriptio docet, rescriptum fuisse ad Doctores Academiæ Pariensis. Exstat hoc caput integrum *in cap. XII. de Jurej. in III. Collectione.* Appellat eos Pontifex devotos, qui titulus adhuc hodie servatur, *denen Andächtigen* / propter facultatem in Academiis Theologicam. Censetur enim propterea Academia esse collegium Ecclesiasticum, quia magis dignum trahit adse minus dignum. *c. quod in dubiis. de Consecr. Eccl. vel altar.* Ideoque universitas Parisiensis dicitur Ecclesiastica, quia majori ex parte constat clericis, propter florentissimum ibi Theologiæ studium. In primis tempore Innocentij III. studiosorum celebritate claruit, non solum Theologiæ, etsi hujus quàm maximè, sed & juris civilis & canonici. Vide Rigordum in gestis Philippi A. Et Matthæus Paris scholam Parisinam primariam Ecclesiæ prædicat ad annum 1257. Et Arnoldus Lubecensis in supplemento Helmoldi *lib. 2. c. 5.* Danos *ait* nobiliores filios suos non solum ad clerum promovendum, verum etiam secularibus rebus instituendos Parisios misisse. De utroque jure, Civili & Ecclesiastico Academiam Parisiensem celebravit Conradus de Fabariâ *de cas. monast. S. Galli cap. 5 ap. Goldastum tom. 1. rer. alemann.* Sed studium juris civilis postea inde deportatum est Constitutione Honorij III. quæ refertur in *c. super specula X. de privil.* Sanè anteriori tempore legum Romanarum in Galliâ magna fuit auctoritas, honor magnus, maximè sub imperio Gothorum. Nam & veterum Consultorum responsa servabantur & Anianus Codicem Theodosianum auspiciis Alarici Regis ediderat, & Pauli sententias notis illustraverat. Papianus item sua responsa protulit, atque etiam collatio LL. Romanarum cum Mosaica prodiit. Testatur Agathias *lib. 1. de rebus Justinia.* Francos Romanas LL. in contractibus & matrimoniis servasse. Et quamvis post fusum Alaricum à Clodovæo Leges Salicæ prodierunt, tantum tamen abest

Professores devoti

Studium Jurisquandoque ab Academiâ Paris. exclusum

abest Romanas non fuisse retentas, ut frequentius etiam ob illarum paucitatem atque sterilitatem ad Romanas recurreretur. Hac de causâ Novellam Theodosij junioris de præscriptione triginta annorum in Galliâ proquiritatam fuisse â Nicetio scribit Sidonius *Epist. 6, lib. 8.* Et liberum erat Francis, leges patrias seu Salicas sequerentur an Romanas, ut constat ex formulis Marculphi. Idem etiam ex aliarum gentium, Burgundionum, Saxonum, Ripuariorum apparet. In concilio Turonensi II. *can. XX.* sub Chariberto Rege auctoritas legis Romanæ adducitur, de raptu virginum sacrarum vel viduarum, quæ habetur *l. 1. & 2. C. T. de raptu Virg.* In Synodali concilio apud Trecas â Johanne Papa congregato, Sineboldus Narbonensis Episcopus detulit librum Gothicæ legis, cum quæstio de sacrilegiis esset, & postea addit : *Invenimus ibi â Justiniano legem compositiones sacrilegii constitutam in quinque libros auri optimi* apud Jvonem *parte 3. c. 98.* Idem Jvo *Epist. 111.* in causâ donationis duobus factæ, & *Epist. 99.* libros pandectarum. *Epist. 134.* leges Justiniani Imperatoris, ut prolixè persequitur Innoc. Ciron. *ad cap. super specula allegat.*

CAP. VIII.

Ad c. 1. & seqq. X. de rescript.

CApitula priora quinque ad diversos Archiepiscopos directa sunt. Primum ad Senonensem, in Galliâ Senones Tricassibus & Parisiis confines vernaculâ *Sens*, Tricasses, *Champagne*. Superiori titulo *cap. 6.* exstat, itidem decretalis ad hunc Archiepiscopum & Episcopum Trecensem Senonensis suffraganeum. Trecæ, Gallicè, *Trois*, Tricassium civitas Augustobona, vulgo Trecæ. De Trecensibus seu Tricassinis præsulibus exstat Nicolai Camuzæi promptuarium sacrarum antiquitatum Trecis anno 1610. editum & P. Pithoei operâ Lutetiæ editum. *Senones* *Tricasses.*

Parisij populi inter Celtas, qui Senonensi provinciæ attribuuntur, Senonibus, Bellovacis & Agendico oppido proximi ac Meleduno finitimi, Lutetiam habent urbem Episcopalem, quæ nunc Parisiensis, Lutetiam Parisiorum vocat Julius Cæsar *lib. 6. Comment. de bell. Gall.* *Pairsiis.*

Sequentia tria sunt ad Episcopos Angliæ rescripta. In Britanniæ regno duo sunt Archiepiscopatus, Cantuariensis, *Canterburi*, Cantelberg à promontorio Cantio *Kent.* de quo Ptolomæus *lib. 2. Cap. 3.* Est hic Primas Angliæ & habet suffraganeos XIV. Episcopos, ut habet liber provincialis. Institutus est à Gregorio circa A. D. 605. qui primum eò misit Augustinum, Melitum, Johannem, viros doctos ut Angliam ad Christianismum converterent. *Gregor. S. Epist. c. 3. & lib. 9. c. 58. & lib. 12. c. 15.* Volaterr. Polyd. Virgil. *lib. 4. hist. Angl.*

Archiepi-scop. Cantuariensis.

Archiepisc. Eborac.

Alter Britanniæ Archiepiscopus Eboracensis, Jorck ad quem rescribitur *c. 4.* est habens sub se suffraganeos, Carelonensem, Cestrensem & Dunelmensem. Eboracum Ptolomæo dicitur Britanniæ civitas. Paulinus primus Archiepiscopus Eboracensis ab Edvino Rege Angliæ factus. A. D. 627. Polyd. Virg. *lib. 4. histor. Angl. cap. 3.* est ad Wintoniensem Episcopum. Ecclesiæ hujus meminit *can. Cum Vintoniensis, 25. de Elect.* sub Cantuariensi Archiepiscopatu. Editum est hoc capitulum post concilium Lateranense *parte 7, can. 9* Exstat in primâ compilatione *hoc titulo cap. 3.*

Ravenna.

Capitulum V. ad Ravennatem Archiepiscopum pertinet. Ravenna sedes Archiepiscopalis, Venetis parens, ubi & regia Ostrogothorum fuit aliquando, est octava in Italiæ regione colonia Sabinorum. *Plin. lib. 3. cap. 15.* ab Augusto muris cincta, à Valentiniano ampliata, qui & Archiepiscopo ejus duodecim civitatum Episcopos subjecit Ariminensem, *Rimini*, Cæsenatensem, Foro Liviensem, Foro Corneliensem, Faventinum, Foro-popiliensem & Britinorianum, Bononiensem, Mutinensem, Regiensem, Parmensem & Placentinum: Sed Bononiensis in Archiepiscopatum evectus est à Gregorio XIII. A. D. 1583. Eique subjecti Episcopatus Mutinensis, Rhegiensis, Parmensis & Placentinus. In novo ergo provinciali ita ponuntur:

RAVENNAS seu RAVENNATENSIS
Archiepiscopus, cui subsunt suffraganei:

Hadriensis, in oppido Rodigio residens.	*Adri.*
Comadensis	*Comachio.*
Faventinus	*Faenza.*

Foro

Foro-popilienſis & Britinorianus.	*Forimpopuli, Brentinore.*
Foro-Livienſis	*Forli.*
Cæſenas ſeu Cæſenatenſis	*Ceſena*
Saſſinas ſive Sarſinenſis	*Sarſina*, Patria Plauti.
Ariminenſis	*Rimini.*
Foro-Cornelienſis, vulgo Imolenſis.	*Imola*
Cervienſis.	*Cervia*
Faneſtrienſis.	*Faneſtria.*
Ferrarienſis.	Ferrara, Ducatus S. R. E. â juriſdictione Archiepiſcopali exemtus.

Cæterum fuit tempore Pelagii II. Johannes quidam Ravennæ Antiſtes, qui magnitudine dignitatis ſe Romano Pontifici prætulit, ut narrat Sabellicus & Gregorius, *Epiſtola 93.* Theodorus poſtea Archiepiſcopus Ravennenſis, tempore Agathonis Pontificis circa annum Domini 680. ſe cum ſuis iterum ſubjecit. *Blond. lib. 9.*

CAP. IX.

Ad cap. cum ordinem. 6. & 7.

ARdinguas Anglus & Robertus Molis menſis A. D. 1098. in Burgundiâ Ciſtercienſes Monachos, â Benedictinis oriundos, excogitarunt, tempore Urbani II. Ut ſcribunt Volaterranus & Sigebertus. Confirmavit Urbanus II. Paſchalis II. Innocentius II. teſte Platinâ. Exſtat hoc capitulum in ſecundâ compilatione, & videtur eſſe pars *can. Eam te. De ætat. & qual.* Habent, auctoritate hujus capituli, Ciſtercienſes in decimis privilegium. Vide *cap. nuper. 34 de decimus.* *Ciſtercenſes quis primus inſtituit.*

In cap. 7. reſcribitur Tornacenſi Epiſcopo Tornacum, *Tournay*, Dornick. Exſtat hoc capitulum inter Epiſtolas Alexandri nuper editas in fine Epiſtolarum Petri Abbatis Cellenſis 7. & 48. Eugenius III. qui cœpit ſedere A. D. 1145. inſtituit Tornacenſem Epiſcopatum in Galliâ, cum per annos circiter ſexcentos â tempore ſancti Medardi fuiſſet Noviodunenſi ſeu Noviômagenſi Epiſcopatui unitus, quæ unio duravit uſque ad tempora S. Bernhardi. Ele-

git Eugenius in Episcopum primum Anselmum Laudunensem Abbatem, ut scribit Gvilielmus. Nanges. Hodie est urbs Episcopalis Flandriæ Cameracensi Archiepiscopo suffraganea. Nervij olim dicti Tornacenses, & est civitas Episcopalis in provincia Remensi & limitibus Francorum sita, ut scribit P. Gregorius hic. De Nerviis Vide Cæsarem *lib. 2. de B. G.* qui Atrebatibus Ambianis, Advaticis, Morinis, Velocassibus, Veromanduis Treviris finitimi.

Agitur *in h. c. 7.* de mandatis Apostolicis ad futura beneficia conferenda. Et fuit Alexander iste III. auctor hujus decretalis, inventor primus mandatorum ejusmodi apostolicorum ad vacatura beneficia conferenda, ut *Joh. Andreas in addit. ad rubr. de concess. prebend. & ad c. duobus. de rescrip. in 6. P. Anchoranus ad Clement. Uni. de prebend.* Alii postea Pontifices hoc eodem jure usi sunt, donec procedente tempore contra jus commune & in fraudem ordinariorum collatorum recepta, cœperunt restringi. Rationes adducuntur in concilio Basileensi *sessione 31. & initio tituli de Collation. in Pragmatica.* Concilio Tridentino mandata de providendo & gratiæ exspectativæ sublatæ sunt *sessione 24. c. 20.*

CAP. X.

De Datâ, ad idem cap. 7.

MEntio Dati, vel Datæ est in hoc capitulo. 7. §. Quod nullatenus. Datum vel Data est characterismus temporis, quo rescripta emissa. Constantinus I. *l. 1. C. T. de constitutionibus & l. 1. C. T. de Rescr.* constituit, ut Constitutiones & Edicta in judiciis prolata auctoritate post hac carere debeant, quæ notatione temporis careant. Confer Libanium in panegyrico Juliani Imp. Chrysostomum *Serm. 1. tom. 3. edit. Parisiens.* At post Constantinum non usque quaque observatum fuisse vel ex Codice Theodosiano videre est, in quo constitutiones relatæ exstant sine die & Coss. veluti *L. un. C. T. de perfectissimatus dignitate.* Sub Honorio Imp. quod constitutiones sine die & Consule valuerint, fidem faciunt Acta collationis Carthaginensis. Nam cum super rescripto quodam Constantini Imp. controverteretur inter Catholicos & Donatistas, ita interloquitur Marcellinus Tribunus, & Notarius; *Imperiale rescriptum, cui desit*

desit Consul & dies in dubium revocari non posse. Quod Augustinus in Breviario collationis die tertio ita narrat : *Cogniter interlocutus est, evidentissimis legibus definitum esse; Imperialia constituta, etiamsi COSS. non legerentur, in dubium non vocari.* Denique Justinianus disertè jussit constitutiones sine die & Consule in Codicem suum relatas nihilominus valere. *Const. de N.C.F. §. 2. vers. etsi quæ earum* & de Justiniano Codice confirm. §. 3. At Tribonianus Constantini M. legem ad beneficia nominatim personalia, seu rescripta Gratiæ, ut Canonistæ appellant, quæ nempe Codici non sunt inserta, interpolando refert. At verò sub Imperatoribus Francicis cœpit lex Constantini in usum revocari, ut videre est ex Imp. Lotharij *legg. Langobardicis lib. 3. tit. 38.* Vide & L. Alemannicam similem *tit. 34.* At in Ecclesia variavit consvetudo, Die & Consule modò adjectis, modo omissis. Pelagium & Gregorium M. primo rejectis Consulum notis mensem & indictionem adscripsisse videmus. Quod tamen alii postea non fecerunt. Nicolaus nempe primus, qui Gregorium secutus est, Johannes VIII. Gregorius VII. Alexander III. Innocentius III. & cæteri, qui longas & multiplices epistolas decretales ediderunt : Sed & loco indictionis annus pontificatus poni cœpit, ut videre est in Epistolis Innocentij III. Zacharias nomen Imperatoris apposuit. Hæc itaque Data ad falsitatem evitandam fuit introducta, quia, ut Glossa ait *ad can. dicent. 16. c. 25. q. 2* vix aliter probari falsum potest.

CAP. XI.

Ad cap. VIII. de Rescript.

Est Lucij 3. Pontificis, fuit Lucâ oriundus, Tuscus, antea Ubaldus Allucingolus, Bonaguintæ filius, ex Canonico Lucensi factus Cardinalis tituli sanctæ Praxedis ab Innocentio II. & Episcopus Ostiensis & Veliternus, ab Adriano IV. factus, electus Romæ à 25. Cardinalibus IV. Kalendas Septembres Anni 1185. Fuit benè literatus, ut ait Tyrius *lib. 22. histor. sacr. c. 7.* ferturque primus creatus Pontifex secundum formam â concilio Lateranensi II. præscriptam. Vixit in Cardinalatu fermè 50. annis teste Onuphrio. Tertio anno Pontificatus civili seditione urbe expellitur, cum Consules & Senatores abolere vellet. Profugit Veronam, ibi mortuus.

Scribit ad Lingonensem Episcopum. Lingones inter Celtas finitimi Aeduis, Sequanis, Tullensibus, *Langres* vulgo, civitas Episcopalis in Galliâ sub Archiepiscopo Lugdunensi; qui Archiepiscopus est Dux & par Franciæ. Lingonensium Episcoporum res gestas describit Jacobus Severtius in chronologiâ Archiepiscoporum Lugdunensium.

Cap. XII.

Ad cap. 9. Eod. tit.

SCriptum est ad Episcopum Norvicensem. Alia exemplaria legunt Norviensem. P. Gregorius Norvegiensem intelligit, & ita legendum putat. Sed omninò est Norvicensis, Norvicum Angliæ sub Cantuariensi Episcopo.

In cap. X. mentio fit Cancellariæ. Cancellarius olim in Ecclesiâ Romanâ & bibliothecarius dictus, qui Romanum Pontificem in chartis Ecclesiasticis juvabat, & orientis occidentisque Synodicis consultationibus respondebat, ut tradit D. Hieronymus in epistolâ ad Agerachiam de monogamia. Et conjicit Dn. Mellincrot ipsum Hieronymum Damasi Papæ Cancellarium fuisse. Antiquissimis temporibus Notariorum Primicerius appellabatur, deinceps Protoscriniarius, ut ex Onuphrio & aliunde constat. Scriniarium etiam nominabant, ut in subscriptione Nicolai primi diplomatis apud Lindenbrogium, inter privilegia Hamburgensia reperitur: *Scriptum per manum Leonis Notarij, Regionarii & Scriniarii &c. Datum Kalen. Julii per manus Tiberii Primicerii S. sedis Apostolicæ.* Nominabantur etiam â libellis, ab Epistolis. Romanæ Ecclesiæ scribarum princeps erat Cancellarius, & quia bibliothecam etiam curabat, Bibliothecarius vocatus, ut scribit Onuphrius in interpretatione vocum Ecclesiasticarum obscuriorum. Sequentibus temporibus diu utroque usi sunt titulo, ut junctim & Cancellarij & Bibliothecarij vocarentur. Cancellaria locus, ubi expediuntur rescripta de rebus Ecclesiasticis vel ad sedem pertinentibus, cui hoc tempore præest, sublato Cancellarii nomine, Cardinalis, qui Vice-Cancellarius audit, secundus dignitate post Pontificem, secus atque olim, quando & â privato exercebatur hoc munus, ut liquet ex actis concilij Lugdunensis sub Nicolao III. celebrati usque ad Bonifacij

facij 8 tempora, ut ex proœmio libri sexti Decretalium colligitur & notat ibi Johannes Andreæ. Vice-Cancellarij autem officium in regimine Cancellariæ propriè consistit, ubi per bullata diplomata negotia expediuntur, ei subsunt diversa officia Scriptorum Apostolicorum, Secretariorum, Abbreviatorum duorum generum, majoris nempe & minoris Parci, ut vocant, Registratorum, Plumbatorum, Sollicitatorum literarum apostolicarum, quos Janizeros vocant, correctorum, collectorum plumbi, Cancellariæ Notariorum &c. Cur autem Cancellarij titulus in Vice-Cancellarij mutatus sit Gomezius hanc rationem reddit, quod solus summus Pontifex hodie in Ecclesiâ Cancellarius Dei censetur, quare ejus Subpræfectus non amplius Cancellarius sed Vice-Cancellarius nominatur. Vide P. Gregor. XV. *Syntagm. 42. num. 1.*

Quæ ratio si vera est, mirum cur apud antiquiores usque ad annum Christi 1187. Cancellarij nomen in ipsa etiam curiâ & Ecclesiâ Romana mansit. Ideo verior est hæc causa, quam Cassaneus in catalogo gloriæ mundi *par. 4. conf. 13, tradit*, his verbis: *Cum olim de pari contendere Cancellarius voluisset cum Papâ, propter excellentiam tantæ dignitatis, statutum fuit pro lege, quod non amplius Cancellarius, sed Vice-Cancellarius de cætero vocaretur.* Onuphrius in Epitomâ de Pontificibus & Cardinalibus Romanis ait, Albertum de Morâ Beneventanum tit. S. Laurentij in Lucinâ S. R. E. Cardinalem, qui postea in Papatu Gregorius VIII. dictus, ultimum fuisse omnium, qui Cancellarij appellationem obtinuerit: In ejus locum, ait, nullus Cardinalium factus est Cancellarius, nec aliquis suffectus, qui pro Cancellario ad tempus esset, sed Domnus Moyses quidam Lateranensis Canonicus Regularis S. R. E. Subdiaconus ad id munus assumtus est, qui quod Cardinalis non esset, non Cancellarius, ut Cardinales consveverant appellari, sed Cancellarij vicem agens dictus est. Vide *Dn. Mallincrot. de Archi-Cancell. Imperii. cap. 5.* Vestrium *in introductione in Rom. Aul. act. lib. 1. c. 4. & ibi Nicolaum Antonium Gravatum.* A tempore igitur primi Vice-Cancellarij Moysis, ad illud officium satis diu vel Cardinales, vel alij assumti sunt, quos ordine suo in Epitoma Onuphrius recitat. Ac quidem proximi successores illius duo uterque Cardinales fuerunt, dictique

Pro-

Procancellario, Cancellarii vices agentes, usque ad Honorii III. Pontificatum, sub quo Reinerius de castro veteri, Canonicus regularis & Prior S. Fridiani Lucensis primus fuit, qui Vice-Cancellarius appellatus est. *Mallincrot. d.lo.*

Cap. XIII.

Ad cap. ad audientiam. XI. de Rescr.

RESCRIBITUR Bituricensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis Legato. Biturix Galliæ urbs Greg. Turonensi, doctis Avaricum Biturigum, ait Mireus. Bituricensi Archi Episcopo qui & Patriarcham in publicis privatisque literis se nuncupat, subsunt Episcopi undecim. Archiepiscopum hunc olim Aquitaniæ Primatem fuisse testatur Otho Frisingens. *chron. lib.6.c.3.* Dicitur Legatus sedis Apostolicæ. Horum alij suarum Ecclesiarum ratione hoc jus obtinent. *c. 1.* & *9 de off. Leg.* Alij sunt qui mittuntur in provincias, & dicuntur missi. Alij dicuntur Legati à Latere. Ecclesiarum suarum causâ dicuntur legati sedis Apostolicæ Archiepiscopus Cantuariensis & Eboracensis in Angliâ *d. c. 1. & c. 6. de Judic. c. 1. de Appellat.* Legati in provincias missi dicuntur nuncii Apostolici. Legati à latere sunt Cardinales, ad certam provinciam regendam missi, ad negotia cum Principibus aut Republicâ aliquâ tractanda. Cæterum constituit Lucius, ut rescriptum continens manifestum in constructione vitium careat fide. Est hoc capitulum 5. in compilatione II. sub eodem titulo de rescriptis. Constructionis peccatum ponitur inter duodecim causas falsitatis, enumeratas cum pœnis legitimis à glossa *in can. In memoriam. 3. ad verbum* : Falsam. *dist. 19.* Ita tamen debet esse manifestum, ut nullâ figurâ locutionis, vel dubitationis, aut exiguo defectu alicujus literæ vel tituli excusari possit. Hæc enim excusant, *c. ex Parte. 11. de fide Instr.* & ibi glossa. *Panormit. h. Lud. Roman. cons. 377.* Vide *l. Nec exemplum. 20. ff. ad L. Corn. de fals.* Si ergo salvâ ratione recti sermonis non possit sustineri, corruet, ut dicitur *in l. 8. ff. de aur. & arg. leg.* Quod maximè in Pontificalibus rescriptis locum debet habere, cum non sit verisimile tot officiarios in Cancellariâ Pontificis errorem incorrectum reliquisse, ut notat hic glossa & P. Gregorius. Sed & oportet manifestum in consti-

constructione sermonis esse peccatum istud : Secus est, si non satis propriè, Latinè, aut eleganter scriptum sit. Tunc enim ex sentententiâ Gregorij *ad Leandrum Episcopum Hispalensem in præfatione moralium* indignum videbitur, ut verba cœlestis oraculi sub regulis Donati restringantur. *c. indignum. 4. dist. 38.* Junge *Cap. Retulerunt 16. de consecr. dist. 4.* In Grammaticâ tamen & dialecticâ non debent clerici esse rudes. *c. si quis artem Grammaticam 10. dist. 37.* Et propterea quidam Episcopus Episcopatu Calliensi, in Marchiâ Anconitanâ dejectus dicitur, quod nec Grammaticam sciret, nec Donatum vidisset. *c. fin. de ætat. & qual. ord.* & Gregorius VII. *lib. 9 Epist. 2 ad Alphonsum* VI. *Regem Hispaniæ*, Sancium Regis propinquum, licet aliis claris donis insignem ob Grammaticæ defectum ab Archiepiscopatu Toletano repulit, ut refert quidam.

CAP. XIV.

Ad cap. 18. de Rescr.

EST Innocentij III. desumtum *ex cap. 8. in tertiâ collectione*, cum inscriptione tali : Abbati de Alcobatiâ, F. & P. Monachis Alcobatiæ. Manuscriptum provinciale Bosqueti locat hoc monasterium sub Episcopo Ulixponensi, ordinis Cisterciensis. Meminit hujus F. Innocentius III. *lib. 2. Epist. 119.* eumque Priorem nuncupat, P. autem Cantorem Alcobatiæ. Et Epistola 120. sequens inscribitur Abbati, Suppriori, & Sacristæ Alcobatiæ Ulixbonensis dioeceseos. Sed in nostris libb. capitulum nostrum inscribitur : Electo Decano & Nicolao Cameracensi. Extat integrum apud Innocentium III. *lib. 1. Epist. 62.* cui jungenda est *Epist. 14. ejusd. libri.* Emendandum est initium capituli. Causa enim vertebatur inter Præmonstratense & Prumiense monasterium, *non Pramoncense vel Parmacense.* Præmonstratum est monasterium dioecesis Laudunensis, cujus Episcopus est Dux & Par Franciæ. Vulgo Laon, caput ordinis Canonicorum Regularium Præmonstratensium ; Ordo auctorem habet Norbertum Lotharingum Augustinianum, cœpit sub Innocentio. II. *Polyd. Virg. lib. 7. de invent. rer. c. 3.* Narrat Sigeberti continuator, auctorem Præmonstratensis ordinis suis prædicationibus adeo profecisse, ut

F Ant-

Antverpiæ Adamitarum hæresin per Tademum publicatam penè sustulerit. Prumiæ monasterium est ordinis S. Benedicti in diœcesi Trevirensi, ubi Lotharius deposito imperio monachum professus, obiit. Regino Abbas Prum. *chron, lib. 2.* Rescriptum est ad Nicolaum quendam Canonicum Cameracensem. Cameracum oppidum Galliæ Belgicæ, in finibus Picardiæ, vulgò Cambray.

Cap. XV.
Ad cap. super literis XX.

INscriptio præfert Canonicum Pictaviensem. At in antiquis libris scriptum reperitur: Aimerico S. Hilarij Canonico. Hoc capitulum ut difficile & famosum celebratur à Dd. & clavis totius tituli de Rescript. Promulgatum est ab Innocentio III. ad conciliandas diversas Interpretum sententias *ad l. 1. 2 5 C. si contra jus vel util.* quibus jungendæ *l. 24. ff. ad L. Cornel. de fal. l. nec exemplum. Cod. eod.* Paulus *lib. 1. sentent. tit. 12. §. 3.* Desumtum autem est è *cap. 10. tertiæ compilationis hoc tit.* Pictavium est civitas præcipua Pictonum, Galliæ Aquitanicæ populorum, ut scribit Ptolomæus *lib. 2 Geogr. c. 7. Plin. lib. 4. c. 19.* Vicinum Petragoriis & Santonibus. Est civitas Episcopalis, in provinciâ Burdegalensi, regnoque Francorum sita.

Cap. XVI.
Ad cap. 22.

VAcante monasterio Hesiensi R. custos monasterij & G. monialis ejusdem in concursu electæ sunt: Lite super hac re motâ cognitio rei à Pontifice mandata est Hildeshemensi Scholastico. De monasterio Hesiensi non habeo quod memorem, nisi quod variat lectio, quibusdam exemplaribus habentibus *Heronensis, Heriasensis* & manuscriptum unû bibliothecæ Jenensis *Herefrensi*. Nescio nunquid conveniet Hervordense legi cœnobium virginum in diœcesi Paderbornensi. Neque sum certior de Abbate *de Remech.* Sed aliud MS. ejusdem bibliothecæ perspicue habet: Hildesensis. Quod verum est. Inscriptio est ad Archiepiscopum & Magistrum Wilhelmum Canonicû Magdeburgensem. MStum Academiæ Jenensis pro Archiepiscopo habet Archidiaconum, quod ferè placet. Num-

quid

quid enim satis conveniat Archiepiscopo Canonicum adjungi commissarium, dubito. Rescripta enim Pontificia non ad alios exequenda diriguntur, quàm ad majores clericos in dignitate vel personatu constitutos. Et observat Chrysostomus in præfat. ad priorem Epistolam ad Timoth. ἵνα ὃν εἶχεν τινὰ καὶ πιθανὰ γέγραφε μόνοις ὅτι τύποις ἤδη ἐκκλησίας ἦν ἐγκεχειρηκώς. De magistris multa dici possent, sed sunt pleraque protrita. Ad jus Canonicum quædam facientia & more superiorum temporum ex Canonistis, ut vocantur, afferam. Magister noster propriè Doctor in Theologiâ dicitur, imitatione Salvatoris, qui dixit; Vocatis me Magistrum & dominum, & benè dicitis. Sum enim. Magistri quoque Doctores in Medicinâ vocantur *in l. Magistros, de profess. & Med.* & ita ex consvetudine vocari à scholasticis Doctoribus regentes in Medicinâ, Magistros Reverendos, scribit Rebuff. *ad §. 1. de collat. in Concord. ad verb. Magistro.* Qui gradum in artibus liberalibus acceperunt, Magistri dicuntur: sed cum adjecto in artibus, vel Philosophiâ. Magistrum etiam vocari Doctorem in jure Pontificio notat Hostiensis in summâ, *tit. de Magistr.* Gloss. *in Clem. 2. de Magist.* Glossa tamen *ad Auth. Habita. Ne fil. pro pat.* ad verba; *Domino & Magistro*, existimat ad Dd. Legum prædicatum, *Domino*: ad reliquas facultates vocem, *Magistro*, pertinere. Rebuff. *ad d. §. 1.* ait artifices quoque magistros vocari, sed hoc discrimine, quod magistri titulus ponatur post nomen proprium, ut Petrus magister Faber, (quod apud Germanos non obtinet, ubi Meister anteit.) In Doctore vero Theologiæ magistrum præmitti nomini, ut; Magister noster Petrus. Idem notat Hostiensis in summâ de Magist. Appellat Pontifex R. custodem dilectam in Christo filiam. Ita enim titulatura postulat, quando scribitur monialibus vel Abbatissis à Pontifice. Vide *c. dilectæ de Except. c. cum dilectam. de conf. ut. & inut.* At quando scribitur Regibus vel Episcopis non consecratis, dicuntur filii. *c. quàm gravi de crim. fals.* Vel carissimi, *ut Clem. un. de conv. conj. c. Pastoralis de Jurejur.* Cum verò scribitur Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis consecratis, vocat eos fratres *d. c. quam gravi.* Vide Rebuf. *ad proœm. concord.* ad verb. *Filios. & in formâ mand. apost. ad verb. dilectis filiis*, ibid.

Caput XVII.

Ad cap. 25. de Refcr.

HOc caput defumtum eft ex *cap. 2. ejusdem tit.* in 4. collectione ⁊ Innocentio III. *lib. 15. regift. epift. 6.* Infcriptio apud Raymundum eft Magiftro G, & P. de Firmifca. At apud Innocentium legitur Magiftro G. & P. de Finniis Canonicis Laudunenfibus, quæ lectio proculdubio verior eft Raymundanâ. Facti fpecies hæc eft: P. clericus S. Remigii parochiam de Salice detinebat, quam R. de Crun vel de Cruneio per interpofitam perfonam fibi ab Abbate S. Remigii collatam fuiffe dicebat. Unde idem R. de Crun refcriptum impetravit ad Abbates S. Nicafii Remenfis, Signiacenfem & Vallis Regiæ. Hi delegati partibus iterum & tertio citatis dictum P. Clericum ob contumaciam excommicaverunt, & fructus parochiæ fequeftrari fecerunt. Poftea idem P. accedens ad judices delegatos, promifit fe pariturum, à quibus eft abfolutus, datis literis abfolutionis, quibus indicebatur dies & locus, quibus coram Judicibus fe fiftere deberet, ipfe verò locum & diem in literis radens, in loco rafuræ fubjecit, quod mandatum effet ut fequeftrati fructus eidem reftituerentur. Re cognitâ Pontifex mandavit G. de Vallibus, Magiftro G. & P. de Firmifcâ, vel ut eft apud Innocentium, de Fimiis, Canonicis Laudunenfibus, ut fi ita effet, ipfi prædicto P. fuper d. parochiâ perpetuum filentium imponerent, & præfato R. de Crun parochiam affignarent, cum fructibus fequeftratis. Cum verò dictus R. rafuram per idoneos teftes probaffet & poftularet prædictam parochiam fibi adjudicari, Judices dubitaverunt utrum claufula illa; *Si ita effet*, pertineret ad omnia fuperiora, an ad articulum rafuræ duntaxat. Refpondit Pontifex claufulam ad omnia fuperiora referri, nempe ad hoc, ut ipfi R. præfata Ecclefia conferatur.

Nomina propria quæ in hoc capitulo occurrunt ita funt emandanda: Memorantur Abbates; Sancti Nicafii Remenfis Sargienfis, & Vallis Regiæ. Pro *Remenfis* male in quartâ collectione; *Remanenfis*. Eft enim monafterium Remis, à Ludovico Pio fundatum. Alexander III. in Epift. 28. quas Sirmondus edidit, refcribit

bit Suidoni, Abbati S. Nicasii. Pro *Sargiensis*, lege *Signiacensis*, ex epistolâ Innocentii III. Signiacum est monasterium diœcesis Remensis ordinis Cistercienfis, vulgo Signy. Vallis Regiæ Abbatia est ejusdem ordinis & diœceseos in MSto provinciali Bosqueti sub Archiepiscopo Remensi Vallis Regis Cisterciensis ordinis. Hodie Vau-le-Roy. Constructio verborum hæc est: *Olim nostris auribus fuit intimatum ex literis dilectorum filiorum* (quod compilatio quarta addit.) Abbatum S. Nicasii, Signiacensis & Vallis Regiæ diœcesis Remensis. R. *de elvo* apud Innocentium non reperitur, sed est emblema Raymundi. In compilatione 4. habetur R. *de Clerini*. At vero apud Innocentium est R. *de Crun.* MSta collectio Bosqueti R. *de Clerim*, Rectè verò apud Innocentium De Crun. Parochia de Salice est S. Remigii, quod additur in compilatione quartâ, omissū Raymundo. Vulgo dicitur, la Cure de Saulx, de S. Remy ut habetur in indice Gallico Ecclesiarum Abbatiæ S. Remigii, qui eam enumerat in iis, quarum collatio ad Abbatem S. Remigii Remensis pertinet.

CAP. XVIII.
Ad cap. 27. de Rescr.

MOnstrosa est inscriptio; Episcopo *Veratisamensi*. MStum Sanum *Verasitanensi*, haud melius. Episcopatum hujus nominis in orbe frustra quæsieris. Exstat autem hoc capitulum apud Innocentium *registro XVI. Epistola 165.* unde vera inscriptio restituenda: *Episcopo Vratislaviensi.* Hic Episcopatus est in Silesiâ sub Gneznensi Archiepiscopo, totius Poloniæ Primate. Desumtum autem est hoc capitulum ex *c. 4. eod. tit. in 4. collectione.* Et errat proinde P. Gregorius, qui in nullâ collatione extare ait, sed fuisse appositum per Raymundum ex regesto rescriptorum. Species ejus hæc est: Vratislaviensis Episcopus ordinavit clericum, vicariam habentem perpetuam, & patrimonium sufficiens, unde poterat se sine beneficio sustentare. Clericus ordinatus absque titulo rescriptum impetravit in formâ communi; *Cum secundum Apostolum*, ut ei provideretur de beneficio Ecclesiastico, subticitâ vicariâ perpetuâ & patrimonio. Respondit Pontifex, ordinarium non teneri clerico tali de beneficio providere, veritate tacitâ, quia rescripta in formâ communi; *cum secundum Apostolum*, non solent dari,

nisi ut succurratur pauperibus clericis, qui beneficio Ecclesiastico carent, ut habetur *in hoc cap. & cap. cum secundum Apostolum, infra de prabend.*

Vicarius perpetuus, est actu Rector Ecclesiæ, sub Priore, qui habitu Rector dicitur, & cujus Vicarius in exercitio dicitur Vicarius perpetuus. *Clemen. 1. de off Vicar.* Perpetuus autem dicitur, quia revocari non potest vel destitui à Priore vel Episcopo, absque judiciali sententiâ & causa quæ privat beneficio possessorem. *cap. adhac de off. Vicar.* Quo nomine differt à Vicario temporali *c. 1. eod. tit.* Denique & hoc notandum, Rescripta ad beneficia alia dari in formâ communi, quia olim Pontifex non solebat gravare ordinarios in collatione beneficiorum, sed solebat scribere ad eos, ut ipsi providerent illis, quos ordinaverant sine titulo, & hoc genus rescriptorum dicitur in formâ; *cum secundum Apostolum,* quia innititur verbis Apostoli; *qui servit altari &c.* Dicuntur etiam impetrari in forma pauperum, quia pro pauperibus clericis tantum rescripta emittuntur, secundum illam formam, ut in *cap. si pauper, de prabend. in 6.* Appellantur & literæ justiciæ, quia ordinarius de jure tenetur providere clerico, quem ordinavit absque patrimonio. *cap. Episcopus. c. non liceat. inf. de prabend.* Alia sunt rescripta gratiæ, cum Pontifex de merâ gratiâ confert beneficium vel mandat conferri non habitâ ratione officii vel paupertatis. *c. gratia. h. t. in 6.* Clemen. *gratia. Eod.*

CAP. XIX.
Ad cap. XXIIX. de Rescr.

NOn evocandos esse reos per literas sedis Apostolicæ ad Judices extra diœcesin ultra duas diætas, statuit Innocentius in concilio generali Lateranensi c. 37. Unde desumtum est capitulum istud. Quid nomine diætæ veniat hoc loco non est obscurum. Accipitur enim pro itinere unius diei & continet 20. miliaria seu sex Leucas. *cap. Ex parte* verb. *ultra duodecim Leucas. X. de foro compet.* & computantur non à domicilio rei, sed à fine suæ cujusque diœceseos Joh Andr. *ad c. statutum.* ad v. *unam diætam. de rescr. in 6.* gloss. *in c. dilectus. 29.* ad v. *domicilium. h. t.* Hodie hoc caput correctum

est,

est, per *cap. Statutum* §. *cum verò* & §. *cum autem h. tit. in 6.* & distantia ad unam diætam est coarctata: Sed nec hoc servatur in Galliâ, sed statur constitutioni isti de duabus diætis. *gl. in pragm. tit. de causis. §. statuit. 1.* & si reus citetur ultra duas diætas, appellatur ad senatum tanquam ab abusu. Vocabulum diæta, seu, ut malunt, dieta, unde haustum sit hujus ævi scriptoribus hoc significatu, non liquet. Certè nec Græcum nec Latinum est. διετία, διετηρίς, tempus duorum annorum designat, δίαιτα, modum & formam vivendi. Significat etiam cubiculum, ubi convivia fiunt, vel ubi cœnatur, quod claustrales refectorium dicerent. Vide Ulpianum in *l. Senatus. 43. §. Marcellus. de Leg. 1.*

Cap. XX.

Ad cap. 29. h. t.

CUi Honorius III. rescribit, est Cantuariensis Archiepiscopus, ut monstrat epigraphe; Hæc verò in quinta compilatione ita habet: *Cantuariensi Archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali*, quam descriptionem omisit Raymundus. Archiepiscopus iste fuit *Stephanus Langthonius*, primo monachus Cantuariensis, deinde magnus Cancellarius Universitatis Parisiensis & Canonicus secularis S. Mariæ Parisiensis. Postea Huberto Archiepiscopo Cantuariensi mortuo in ejus locum ab Innocentio III. sufectus est, demum ab eodem anno 1212. Presbyter Cardinalis tituli S. Chrysogoni creatus. Clericus *Dumeliensis, Dulmensis, Dulnediensis*, mendæ sunt. Scribendum, *Dunelmensis*. Dunelmium hodie Durham, Comitatus, sub Archiepiscopo Eboracensi, quo sedes translata ex Lindisfarnâ insulâ. Wilhelmus Malmesbur. *lib. 3. de gestis Pontif. Angliæ*. Ubi narrat claves castri Dunelmensis vacante Episcopatu, ex instituto S. Cutberti ad mausolea appendi solita fuisse.

Cap. XXI.

Ad cap. 30. h. t.

NEscio unde Legionensis atque etiam Leodiensis Archiepiscopus irrepserit. In compilatione quinta ita habet: *Abbati & Priori S. Projecti & I. de villa Wade Canonico S. Quintini Noviomensis.*

menfis. Ecce alia omnia quàm quæ Raymundus. Abbatia S. Projecti, Ordinis S. Benedicti, Noviomensis diœcesis, in suburbio S. Quintini. Duo reperiuntur S. Projecti, unus martyr cum S. Tyrso, in martyrologio Romano: Alter Episcopus Arvernensis & martyr, apud Usuardum. Vide Sigebertum ad annum 670, vulgò *S. Prix.* Sancti Quintini fanum, præcipua olim Veromanduorum Comitum sedes, ejusdem diœceseos Noviomensis. Josepho Scaligero videtur esse Augusta Veromanduorum ista Quintinopolis. sed nihil urbis hujus Augustæ restat. Nam & sedes Episcopalis translata Novionum à S. Medardo Episcopo XIV. Noviomensi. Tantum cœnobiũ & Abbatia Ordinis Præmonstratensis inter Peronam & S. Quintini fanum superest & retinet nomen, *Vermand Abbay.* Vide Miræum in Notitiâ Episcopatuum. Clericus, de quo in hoc capitulo, apud Raymundum dicitur Callimachus. Sed in compilatione 5. Revardus appellatur. Raymundus Archiepiscopum Tornacensem in scenam producit, qui nullus est. Non enim Tornacum Archiepiscopatus est, sed Episcopatus suffraganeus Remensis. Imo olim Tornacum unitum fuit Noviomensi anno 528. sub Medardo, usque ad annum 1146. quo procurante S. Bernardo proprius ei datus fuit Episcopus, sexaginta annis ante Honorium. Species capituli hæc est: Ræverdus clericus Noviomensis pro præbendâ obtinendâ in Ecclesia S. Crucis Cameracensi literas monitorias ac præceptorias ad Capitulum Cameracense impetrat. B. *Clericus*, est Balduinus, clericus Tornacensis, contra ex secutoriales impetravit ad J. quod est, *Jacobum Archidiaconum Tornacensem*, ejusque con-Canonicos, nullâ factâ mentione literarum quas Rævardus obtinuerat. Canonici Cameracenses noluerunt parare mandato. Igitur Jacobus suspensionis sententiam in eos tulerat. Inde Rævardus pariter exsecutorias ab Honorio impetravit ad Scholasticum S. Quintini & conjudices, qui quidem etiam sententiam ex communicationis in eosdem Cameracenses Canonicos tulerunt. Canonici ad Pontificem confugiunt, allegantes non plus duodecim præbendis esse in capitulo ex statutis jurejurando confirmatis, & ita non posse Rævardum & Balduinum, præbendam obtinere. Decidit Honorius, ei tantum, præbendam assignandam fore, qui prius mandatum reportarit, sublatâ sententiâ excommunicationis.

FINIS ECLOGAE II.

Amœnitatum Juris Canonici menſtruarum OCTOBER.

ſeu

ECLOGA tertia.

CAP. I.

Ad cap. 33. de Reſcript.

GRegorius IX. reſcribit Epiſcopo *Sylvanectenſi*, Silvanectum vulgò *ſenſis*, urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopatu Remenſi, decimo lapide à Lutetiâ Pariſiorum. Subſunt Archiepiſcopatui huic octo ſeqventes ſuffraganei:

1. Laudunenſis, *Laon*, Dux & Par Franciæ.
2. Catalaunenſis, *Chalon* Comes & Par Franciæ.
3. Sveſſionenſis, *Sveſſon*.
4. Morinenſis. Hujus ſedes Teroana Morinorum Bononiam eſt translata, ubi eſt navale; Veteribus Geſſoriacus dictus.
5. Ambianenſis, *Amiens*.
6. Noviomagenſis, *Noion*, Comes & Par Franciæ.
7. Sylvanectenſis, *Senlis*.
8. Belovacenſis, *Beauvais*, Comes & Par Franciæ.

Sylvanectenſi Epiſcopo jungitur Abbas Cariloci in hoc capitulo. Duas Abbatias continet Sylvanectenſis Epiſcopatus; *Mariæ de Victoriâ*, ordinis S. Auguſtini, *& Cariloci*, ordinis Ciſtercienſis, vulgo *Charly*. Hujus nominis quatuor eſſe in Galliâ Abbatias vel Prioratus dicit Bosqvetus. At Alteſerra duas tantum ponit, unam, hanc noſtram, alteram in Biſuntinâ diœceſi, de quâ in vitâ Bernardi Clarevallenſis *lib. 4. c. 4.* Hoc loco inſcriptio docet, intelligi Abbatiam diœceſis Sylvanectenſis. Hujus Abbatis, meminit Alexander III. *cap. cum dilecti, X. de Emt. & vend.* eique reſcribit Innocentius III. *cap. ex parte, 10, X. de temp. ordin.* ubi forſan plura.

CAP.

Cap. II.

Ad Cap. Rodulphus 35.

PRiores dicuntur, qui super alias Ecclesiæ alicujus personas constituti sunt, horum alii claustrales, alii conventuales. *Clem. 2. de Rescr.* alii seculares. Claustrales sunt, qui præsunt Cœnobitis post Abbatem vel alium Antistitem, quorum funguntur potestate vicariâ intra monasterii claustra *c. cum ad monasterium, X. de Stat. Monachor.* Conventua'es illi, qui principes cœnobio constituti sunt, quibus nullus Abbas vel alius dignior præest. *Clement. 1. §. caterum. de St. Monach.* Hic Prioratus dignitas est, claustralis non item. *gl. in Clement. 2. de Rescr.* in verbo, *conventualem*, & Panorm. *in c. nisi. de preben.* Seculares dicuntur, qui habent beneficium Prioratus quod solitum est regi per clericos seculares. Vide P. Gregor. *synt. 15. c. 18.* Sagiensis Episcopi meminit Ivo in Epistolis & concilium Aurelianense. Ejus mentio quoque est in vitâ S. Ansiberti & S. Opportunæ. *Seez* in Normandiâ hodie, teste Bellesorestio. Eandem facit Vinetus in Ausonium Sajorum civitatem.

Cap. III.

Ad cap. 37. De monitoriis, præceptoriis & exsecutoriis literis.

MAndat Pontifex, ut si nullæ monitoriæ præcesserint, exsecutoriis supersedeatur. Harum literarum origo & progressus hic fuit. Ab initio, ne collatores ordinarii gravius conquererentur de imminutis sibi suis juribus, Pontifices non statim & primis literis compellebant eos, ad conferendum vacans vel proximè vacaturum beneficium: sed primo monitorias scribebant, quibus mandabant ordinarios collatores, ut beneficia conferrent, impetrantibus has literas, quibus si non obtemperabatur, inde præceptorias, quibus præcipiebant ordinariis, ut conferrent beneficia, vel vacantia jam, vel propediem vacatura, quod si perseverarent, denique exsecutorias dabant, quibus Exsecutorem delegabant, qui recipi faceret impetrantem & provideret de beneficio. Progressu temporis quia non obstantibus prædictis formulis poterat adhuc benefi-

neficium ordinarius alteri conferre, *c. si soli ordinario. de concess. preb. in 6.* Non amplius tres literas per temporum intervalla, sed unas tantum dederunt, dato statim executore, qui cessante ordinario collatore conferret. Id ægrè ferebant ordinarii collatores, nec destiterunt, donec jure novo rescriptorum de providendo, maximè ad vacatura sublato, jus vetus Canonicum ordinariorum restitueretur. Probantur ea c. 7. 19. 27. 30. 37. 38. 39. & 40. *h. t. Cap.* 6. 9. 12. & 14. *Eod. tit.* in 6. c. 4. 6. 22. 27. 38. *X. de preben.* & c. 5. *de concess. prebend.* Formulam præceptoriarum ex MSto codice Ecclesiæ S. Albini Andegavensis exhibet Franciscus Florens, quam adjiciam:

Ad hoc nostrum nos impellit officium, ut Christi pauperibus prout quemque dignum noverimus præbeamus adjumentum. Hoc ergo officium timentes transgredi, ut petitioni G. Clerici latoris præsentium non præbuissemus auditum, ipsum audivimus, & ei de competenti beneficio providere vos monuimus nostro scripto. Quia verò nihil horum factum est præmissis literis, commonemus vos iterum subsequentibus, atque præcipimus, ut præbendæ primo vacantis in vestrâ Ecclesiâ vestituram eidem Clerico concedatis. Sin autem, de vestrâ contumaciâ nos pœnam sumere sentietis.

CAP. IV.

Ad cap. 2. de consuetudine.

INnocentius III. rescribit Archiepiscopo & capitulo non *Lugdunensi*, ut perperam legunt exemplaria omnia, sed *Lundunensi*. Lundunum est metropolis provinciæ Scaniæ in Dania, quæ olim Scandia & Scandinavia dicta, vid. Albert. Crantz. *lib. 1. rer. Danic.* Hic Metropolitanus Lundensis, sicut tota Dania & Svecia suberant primo Archiepiscopo Hamburgensi, deinde unitis Bremensi Episcopatu & Hamburgensi Archiepiscopatu vicariatum sedis Apostolicæ in Danos, Svecos & Slavos obtinuit. Qui summus honos unâ cum Episcopatus Bremensis unione cum Hamburgensi Archiepiscopatu collatus est Ansgario, Nicolai I. Pontificis beneficio, mandante Ludovico Rege Germaniæ, filio Ludovici Pii. Hamburgo verò capta & vastata Normannorû incursionibus, vacantem Episcopatum Bremensem in solatium uniri jussit Hamburgensi Episcopatui Ludovi-

cus & Nicolaus I. Verba Rescripti ita habent: *Autoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum ejus, Petri & Pauli hoc nostro decreto decrevimus secundū Reverendissimi Regis Ludovici votum ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem scil. & Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse, & vocari, subdiq; sedi, quæ Prædecessoris nostri decreto* (intelligit Gregorium IV.) *Archiepiscopali munere est sublimata &c. nullus vero Archiepiscopus Coloniensis deinceps in eâdem diœcesi sibi vindicet autoritatem &c.* Guntharius enim Coloniensis Archiepiscopus gravem controversiam de Bremensi Episcopatu, qui antea Coloniensi Metropoli subfuerat, in invidiam Ansgarii excitaverat, quam tamen Ludovicus Rex & Nicolaus I. composuerunt, sed ita, ut multo post tempore sub Alberto I. Hamburgensi Archiepiscopo demum bonâ fide fuerit sopita. Vide Adamum Bremensem *cap. 17.* Albertum Crantz. *metropolis lib. 1. c. 19. & seqq.* In ipsa Decretali, quæ habetur integra in cap. 1. compilatione tertia, & in Registro Innocentii *lib. 1. epist. 415.* refert Pontifex, se intellexisse, quod regnum Daciæ (ita hoc seculo vocabant Daniam) propriis consvetudinibus Regum suorum regatur, unde nullum usum testamentorum ibi esse. Id vero & alibi, obtinuit, etiam apud Athenienses, quibus nullum testamentum ante Solonem, ut Plutarchus *in Solone* testatur. Ita de Germanis in universum tradit Tacitus *de mor. Germ.* nullum eis testamentum fuisse, ut eò minus mirum sit, apud Cimbros etiam, id est, Danos id similiter servatum fuisse. Quid vero fiebat, si quis possessiones suas religiosis locis conferre vellet? Indicat Pontifex id fieri solere per donationem. Ejus autem in Daniâ formam hanc esse tradit, ut modicum terræ donator in manu acciperet, vel in extremitate pallii, quod manu Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponitur, sub testimonio videntium & audientium, eamq; traditionem vulgariter *Scotationem* appellari, eamq; Scotationem signū non tam factæ donationis, quam traditæ possessionis esse. Exinde constat, quod donationes valuerint apud Danos, tam inter vivos, quam mortis causa, etiam sine apprehensione corporali, ut docetur in hoc capit. secus atque jure civili veteri, quo donatio non perficiebatur, nisi per traditionem. *l. 1. l. per. C. Theod. de Donation.* Sed à Justi-

Justiniano effectum, ut nudo consensu perficiatur, vel fictitiâ traditione. *l. quisquis. l. si quis argentum. §. pen. C. Justin. de Donation.* Sola ergo traditione glebæ, id est, gleba fundi delata in Ecclesiam, vel tradita in manum Prælati & imposita altari, donationes fiebant, qui ritus Scotatio dicta est, ut ait Pontifex. Quid nominis sit, varia & partim ridicula Interpretum datur expositio. Sunt, qui à Scotorum gente derivent, quod certum sit hanc gentem peregrinationibus adsvetam & valde hospitalem fuisse, magnisque donis Ecclesias verisimiliter auxisse, quæ liberalitas inde Scotatio fuerit dicta. Sed hæc conjectura per se longe petita est, & ex ipso cap. nostro refutari potest, quia non Scotis, sed Danis ab Innocentio tribuitur. In quibusdam exemplaribus legitur Scatatio, inde suspicantur, à Germanico Schatz formatum esse. Jano à Costa, viro ceteroquin doctissimo, videtur deduci à voce Scoticâ, quasi Scoticatio. Scoticam autem instrumentum fossorium vocari in veteri Glossario Arabico Latino Vulcanii, eò quod circa codicem terram aperiat. Sed hoc plus quam ridicilum est, non enim Arabica, sed Danica vox est, & nolo ineptiis hisce immorari. Nimirum Danis Skiöten/ schoten/ verschoten/ significat transferre, alienare. Ita in Legibus Jutharum. *lib. 1. cap 37.* ub deme dinge schall man Land verschoten/ und nergend anders. id est, pro tribunali seu in foro, non alibi terræ proprietas alienari potest. Sic in dictis Legibus Jutharum *cap. 21.* so vôle/ als einer dar geschotet wird/ dat beholt das Kind. id est, quantum adjicitur, affunditur, tantum retinet infans. Ita in vernacula nostra: Vorschuß/ prænumeratio: Zuschuß/ additamentum, collatio contributio: Ausschuß/ id quod eximitur, excipitur, separatur. Quia ergo gleba terræ fundebatur super altari, vel injiciebatur emtoris pallio, ideo hoc genus traditionis Scott/ schott/ nobis schutt/ schüttung/ Scotatio dicebatur. Nec barbara hæc traditio videri debebat. Nam & olim jure Civili vindicatio fiebat in jure, quasi in re præsenti delatâ glebâ fundi ad Prætorem, & in eâ tanquam in toto fundo vindicatio fiebat. Gellius *lib. 20. c. 9.* Denique moribus Germanorum donatio etiam per alia symbola facta fuisse legitur, ut gladii, galeæ, cornu, crateris, calcaris, strigilis, arcus, sa-

gittæ, chirothecæ, teste Ingulpho *in Chronico Croilandensi*, de quâ re forsan alibi pluribus.

Cap. V.

Ad cap. 4. X. de Consvetudine.

CUm Constantinopolis à Francis & Venetis capta esset Balduinus Comes Flandriæ, unus ex comitibus expeditionis, & Thomas Maurozenus Venetus electus est Patriarcha CPolitanus. Hac occasione ab Innocentio III. Cpolin missus est Lucius Presbyter Cardinalis, Legatus Apostolicæ sedis ad componendas res imperii & retinendos Græcos in obsequio & unione Ecclesiæ Romanæ, ad quam modò reverterant. Inter hæc quia acceperat Pontifex simplices sibi presbyteros arrogare, ut sacramentum confirmationis & alia quæ pertinebant ad Episcopos conferrent, solâ consvetudine se defendentes mandavit Pontifex Legato, in illis partibus existenti, ut interdiceret Presbyteris confirmationis sacramentum posthac conferre, quod per chrismatis unctionem in fronte & manus impositionem confertur à solis Episcopis. *can. bis. can. manus. de consecr. dist. 5.* Ita ut non liceat Chorepiscopis confirmare. *c. quamvis. dist. 68.* Hac ratione vetuerunt Innocentius I. in Epist. ad Decentium & Gregorius I. ad Januarium Calaritanum *can. Presbyteris. can. Presbyteri de consecr. dist. 4.* Vide Gregorium I. *lib. 3. Epist. 26.* ad Januarium Calaritanum, quam Gratianus inseruit *can. pervenit. dist. 95.* Aliter tamen servatum est in Alexandrinâ & aliis totius Ægypti Ecclesiis. Ambrosius *in Epist. ad Ephesios: Apud Ægyptum*, inquit, *Presbyteri consignant, si Episcopus non est.* Apud Hispanos eundem esse usum suggerit Martinus Bracarensis *can. 52.*

Cap. VI.

Ad cap. 5. X. de Consvet.

EXstat hoc cap. *in c. 4. eod. tit. Collectione 3.* ad Decanum & Capitulum Cenomanense. Cenomani Plinio & Ptolomæo Galliæ Lugdunensis Populi, Cenomanum, hodie, *Le Mans* Urbs Episcopalis ad Sartam amnem, sub Archiepiscopo Turonensi. Fuit patria

tria P. Bellonii, Medici, qui anno 1546. regnante Francisco I. Gallias, peregrinationem per Græciam, Asiam, Ægyptum, Judæam, Arabiam aliasque provincias orientales susceperat & memorabilia per iter observata tribus libris observationum consignavit. Hæc Ecclesia civitatem interdicto innodaverat. Ob excessum ut ex integrâ decretali videre est, secularis potestatis. Nimirum comprehenderat quidam Helias de Flechiâ Episcopum Cenomanensem & in carcere vinctum retinuit, propter hanc causam Capitulum Cenomanense civitatem interdicto subjecit. Ordericus Vitalis *lib. 8. hist. Eccles. ad ann. 1090.* Inde orta lis inter Decanum & capitulum Cenomanense, & Monachos S. Petri de culturâ, ordinis Benedictini, in suburbio Cenomanensi, de quo in *c. Venerabili. Infr. de Censib.* quod Monachi non servarent interdictum generale, ab Episcopo Cenomanensi emissum, pulsatis campanis & apertis januis. Re perlatâ ad Pontificem, Procurator monasterii S. Petri tuebatur se coram eo, oppositâ duplici exceptione, quarum alterâ erat consvetudo monasterii, etiam in generali edicto pulsandi campanas & aperiendi januas.

CAP. VII.

Ad cap. 1. & 2. de Postulat. prælat.

HÆc capitula intelligi benè nequeunt, nisi historicâ explicatione præmissâ. Hunc laborem recipiam in me, studiosorum gratiâ. Anno Christi 1199. Petrus Capuanus, S. Mariæ in viâ latâ Cardinalis Diaconus ab Innocentio III. in Galliam legatus missus persvadere omnibus modis Philippo Augusto annisus est, ut Mariâ, Ducis Moraviæ & Bohêiæ super inductâ pellice relictâ uxorē suam reciperet Ingebergam, Canuti Regis Danorum sororem. Sed cum Rex Philippus adduci non posset, ut reciperet conjugem legitimam, Legatus regnum Franciæ sub interdicto ponebat. (Nuncii Regii appellabant. Huic interdicto subjectus fuit & Comitatus Antissiodorensis, quem Petrus Comes hoc tempore tenebat. Episcopatum verò regebat Hugo de Naceriis, interdicto non obtemperans. Cum itaque eodem anno moreretur Michael, Senonensis Archiepiscopus, Regis & Canonicorum communi consensu, postu-

postulatus est Hugo in Archiepiscopum Senonensem, quam postulationem declarat irritam Innocentius III. in odium Hugonis, quod interdictum non servasset, ideoque suspensionem incurrerat, atque Petrum de Corbolio, Innocentii III. quondam præceptorem in locum ejus substituerat. Postquam verò Rex Philippus rediit in gratiam cum Innocentio, & regnum ejus absolutum fuit ab interdicto per Octavianum legatum, idem legatus Petrum Corbolium, Cameracensem Episcopum, ad Archiepiscopatum Senonensem promoveri curavit, volente ita Pontifice & Rege consentiente, quamvis cæteroquin ad dignitates Ecclesiasticas & beneficia, citra Regum Galliæ concessionem aditus non pateat exteris. Innocentius III. impetratis ita, quæ desideraverat, omnia Octaviani legati gesta confirmat cap. II. h.

Cap. VIII.

Ad cap. 6. 7. 8.

Cum Londinensis Episcopus Præcentorem de novo instituisset, confirmavit, hanc dignitatem Pontifex statuitque ut Præcentor parem dignitatem haberet in Londinensi Ecclesia, quem Præcentores alii in Ecclesiis Anglicanis obtinerent. Cantoria hæc functio quandoque dignitas, quandoque non est, pro consvetudine locorum. Rescribit Pontifex ad Episcopum Heliensem, seu Eliensem. Heli Stagnantium Insularum maxima, ab angvillarum copia sic dicta, ut ex Bedâ refert Gvil. Malmesburiensis *lib. 4. de gest. Pontif. Angl.* Iste Eliensis Episcopus Cantuariensi Archiepiscopo suffraganeus est: Monasterium Corbiense seu Corbeiense alterum est in Galliâ adripam Somonæ fluvii, Ordinis S. Benedicti, Ambianensis diœcesis, à sanctâ Batilde Clodovei II. Regis Galliæ viduâ, Saxonici generis heroinâ, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli fundatum, anno 662. *Sigebert.* Dicitur Corbeia vetus, ad differentiam Corbeiæ Saxonicæ, de quâ *cap. 7.* in diœcesi Paderbornensi, Colonia scilicet veteris, à Ludovico Pio illinc deducta. Quod Johannes Trithemius ex Henrico de Hervordiâ annotat, & monumenta Paderbornensia Celsissimi Principis Ferdinandi, Comitis Pyrmontani, Baronis Fursten-

Fürstenbergius *pag. 129.* editionis Amstelodamensis. Quæ dicitur Corbeia nova Helmoldo *Hist. Slav lib. 1. c. 6.* Abb. Urspergensi *chron. ad annum 920.* Kranzio *Sax. hist. lib. 3. c. 1.* & Metrop. *lib. 1. c. 19. & 24.* Hæc primum construi cœpta in sylvâ Sollingensi, inde ad Visurgin translata, & jam olim intra fines diœceseos Paderbornenses constituta. In capitulo 8. quod depromtum est ex *lib. 1. Registri Innoc. III. Epist. 19. & est c. 7. eod. tit. in compilat. 3.* Andrensis Ecclesiæ monachus & Procurator monasterii Karosensis super jure eligendi Abbatem in Andrensi monasterio litigabant. Andrense monasterium est in Morinensi seu Tervanensi diœcesi. Teroana, Tervana Morinorum, urbs erat olim Episcopalis sub Archiepiscopo Remensi. Sed anno 1552. funditus deleta est, jussu Karoli V. Imperatoris. Ejus sedes Episcopalis cum parte prædiorum inde Bononiam translata, ubi est navale, veteribus Gessoriacus dictum, pars altera prædiorum cessit Episcopis Audomarensi & Iprensi. Teroanæ rudera spectari in finibus Artesiæ, & vetus retinere nomen refert Miræus. Carrofense in Pago Pictaviensi. Carrofum monasterium, vulgò S. *Sauveur de Charroux*, diœcesis Pictaviensis, ordinis S. Benedicti, fundatum à Carolo M. reparatum à Ludovico Pio. In dedicatione Vindocinensis monasterii apud Sirmundum interfuisse legitur Hugo de Sancto Salvatore Karroffi Abbas. Et nota, quod ex consvetudine effici possit, ut Abbas eligatur de alieno monasterio. Exemplum est *in c. Abbati. Infra de V. S.* ubi Abbas S. Sylvani Alciatensis apud Hesdinum Artesiæ oppidum eligebatur de monasterio S. Bertini. Sic Abbas S. Leufredi de Cruce eligebatur de monasterio S. Audoëni Rothomagensis, de quo Innocentius III. *lib. 2. Epist. 71.* Occasionem quâ Andrense Carrofensi subjectum fuerit ex Hiperio in chronico Bertiniano recitat Bosquetus: Ita vero habet: Johannes Bertinensis Abbas XXXIX. consecratus est anno Domini MLXXXI. Hujus Abbatis anno III. Balduinus Ghisnarum Comes & Ingelramus Lilariensis dominus à peregrinatione S. Jacobi redeuntes per Pictaviam hospitati sunt in monasterio Carrofensi, & videntes ibi religionem benè vigere, de monachis Carrofensibus secum adhas partes duxerunt, & quidem Balduinus Andrense, Ingelramus

verò Hamense monasteria in honorem S. Salvatoris fundaverunt. Idem narrat Meyerus *in Annal. Belg. ad annum* MLXXXIX. Et Aubertus Miræus *lib. 2. diplom. Belgic. c. 23.* Abbatia de Ham, *vulgò de Ham Lez liliers*, hodie diœcefeos Audomaropolitanæ, ordinis S. Benedicti, inter Æriam & Lilariam Artefiæ oppida. Inscriptio autem *cap. 8.* ita est reformanda: *Decano Saresberiensi & Archidiacono & Magistro P. Pulverel Canonico Parisiensi.* Data est Epistola hæc Laterano X. Kal. April. anno XIV. Pontificatus Innocentii.

Cap. IX.
Ad cap. III. IV. V. De postulatione Prælatorum.

SUmtum est c. 3. ex *cap. 5. eod. tit. in III. Collect.* Ejus hæc species est: Anno MCXCVIII. Gvillelmo Ravennatensi Archiepiscopo vitâ functo Ravennatenses Canonici alii Suffridum S. Praxedis Presbyterum Cardinalem, cujus nomen notatur Sigla S. *cap. 3. h. t. compil. III.* in Archiepiscopum postularunt: Alii sed pauciores, Imolensem Episcopum Ravennatis Ecclesiæ suffraganeum postularunt. Imolensis, aliàs Foro Corneliensis. Imola enim olim forum Cornelii, Ravennæ suffraganea, cum antidhac sub Mediolanensi metropoli fuisset, ut indicat Ambrosius *Epist. XLIV. ad Constantium Foro Corneliensem* & alias plerasque Æmiliæ civitates Ravennatensi metropoli subjecisse Valentinianum III. ex Blondo *Decad. 1. lib. 2.* refert Antonius Bodinus. Ast Innocentius neutram confirmavit. Et Cardinalis postulationi propterea quod ejus opera utilior futura esset Sedi Romanæ legaturæ cum in expeditionem belli sacri, quæ jam instruebatur: Imolensis Episcopi propterea, quod à minori, quàm tertiâ parte fuisset postulatus. Tandem vero Canonicis Revennatensibus inter se non convenientibus Pontifex Albertum Archiepiscopum ordinavit ut scribit Hieronymus Rubeus *lib. 6. hist. Ravenn.* In textu, pro *Episcopo Cenolensi*, puto rescribendum, *Imolensi.* In cap. 4. & 5. agitur de alio Guillelmo, viam universæ carnis ingresso, nempe Strigoniensi Archiepiscopo. Hic Primas Hungariæ est, qui & Legatus natus, qui & Regem

in augurandi jus habet ut patet ex diplomate Innocentii IV. tom.I. historiæ orientalis per Bongarsium editæ. Hujus Sedis archiepiscopalis privilegia & jura præstantissima videri possunt *ex Epistolâ 156. libri 14. registri Innocentii.* Strigonium vulgò Gran. Canonici Strigonienses Colocensem Archiepiscopum in ejus locum postularunt, assentiente Andreâ Duce, tutore Ladislai Regis, nepotis sui, qui pro Colocensi primitias precum suarum transmisit ad Pontificem, ut habetur in antiquâ decretali, idque vel ideo quod postulationes Regis vel tutoris Regii voluntatem requirunt *c. cum inter universas. de elect.* Colocensis Archiepiscopatus Hungariæ vulgò Coloz. Horum capitulorum etiam in antiquâ collectione tertiâ nomina propria valdè sunt corrupta. Pro Vitriensi, Nitriensis rescribi decet. A. sigla notat Andream Hungariæ Regem. L. Ladislaum nepotem ejus. Qvinquiliensis Episcopus est Qvinqueccclesiensis ad Dravum fluvium. Hodie Turco subjectus. Pro Uvarm. Vesprin. & Velan. ut habet Gregoriana editio, vel, ut antiqua; Watien. Wesprunen. & Nituen. lege: Vacciensis, Vesprinienfis, & Nitriensis. Hodie Vesprinienfis sub Turco degit. Nitriensis Episcopus est regni Cancellarius. Vacciensis restituendus etiam est, loco Natiensis. *in cap. 2.* Compilationis quintæ, & legendum: Vaccienfi & Agriensi Episcopis. Ambo suffraganei Strigoniensis Metropolis. Agriensis hodie Turcis subjicitur.

Cap. X.

Ad cap. 6. De Postul.

Variat inscriptio. Quædam exemplaria habent. Episcopo *Caritanensi*, alia *Carlaranensi, vel Catalanensi.* Alia non Episcopo, sed capitulo *Cabaritano*; Sed rectè Calaritano, ut in Raymundanâ. Et ita expressè membranæ optimæ in Bibliothecâ nostrâ Salanâ. Agitur enim de electione vel postulatione Archiepiscopi Calaritani, in Sardiniâ, quod est *Cagliari.* Sed quod Raymundus Sutriensem Episcopum producit, id perperam factum. Svellensem habet Honorius, compilatione quinta. Sunt enim Sutrinus & Nepesinus Episcopatus uniti provinciæ Romanæ in Tusciâ. Svellis autem civitas episcopalis olim Sardiniæ, nunc oppidulum.

dulum, cujus Episcopatus unitus est Archiepiscopatui Calaritano. Rescinditur electio in hoc capitulo Episcopi Svellensis, quod electio per canones locum non queat habere, sed postulatio. *Quia Episcopus jam Ecclesiæ addictus, ab alia eligi non potest.* Quam mutationem Honorius vocat, volatum. Hæc vox habetur etiam *cap. nisi in fine. Infra de renunc.* Alii μετάβασιν vocant, alii invasionem & Episcopus in aliam Ecclesiam transiens invasor & raptor dicitur *d. can. 16. Syn. Antioch.* Volare & involare est rapere, auferre, *l. 6. ff. de inc. rui. nauf. Lucan. lib. 6.*

Quod corpore magni
Projecto rapiat quod Cæsaris involet artus.

Caput XI.

Ad rubricam de Electione.

Electio magni momenti res est, quippe ex quâ omnia Ecclesiarum mala & incommoda manant; ut rectè censet Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdot.* Electio χειροτονία, quod in electionibus consensus protensis manibus fieret: Alia hæc est atque ἐπίθεσις χειρῶν χειροθεσία. χειροτονία fiebat elatis manibus, acclamante universo populo. Eligentes attollebant palmas & per hanc sublationem numerabantur eligentes, ut refert Zonaras *ad can. 1. Apost.* Hanc vocem ἀπὸ ἔξωθεν in Ecclesiam translatam esse notat Justellus notis *ad Codicem canonum Eccl. univ.* Apud Athenienses duplicem rationem fuisse constituendi magistratum, quosdam per κλῆρον electos, qui κληρωταὶ ἀρχαὶ, & locus in quo deligebantur κληρωτήριον, quosdam verò per χειροτονίαν, qui χειροτονηταί. In ecclesiam hunc morem receptum legimus Paulo & Barnaba Presbyteros per singulos civitates χειροτονία, hoc est, suffragio & consensu populi ordinantibus *Act. 14, 23.* Electionis origo à Deo immediatè incunabulis Ecclesiæ procedebat. Duodecim enim Apostoli vel à piscatione, vel à mensâ numulariorum vel aliis occupationibus à Christo ipso sunt vocati. Electionis viam ipse Dominus in personâ Matthiæ ostendit. Is mediatè electus fuit ab Apostolis, immediatè à Spiritu sancto, qui prius eum vocavit, vocatum autem ita congregatio declaravit. *Prax. Apost. segregate mihi Barnabam & Saulum*

Saulum in opus : προσκέκλημαι αὐτοὺς, in *quod eos vocavi.* Declar tus ergo fuit per sortem Matthias, quæ sors est res in dubitatione humanâ divinam indicans voluntatem, ut ait Augustinus *in Psalmum trigesimum.* Hæc alia sors est, quàm calculorum, tesserarum, globulorum, lapillorum, in urnam, vel hydriam, vel galeam; conjectorum sortitio, quæ in electionibus Prælatorum improbatur. *c. Ecclesia. infra de sortileg.* Porrò in hoc titulo tres electionis modi ponuntur: Per inspirationem, per scrutinium, & per compromissum. Inspiratio sine omni suffragio videtur peragi, impulsu Spiritus Sancti. *c. quia propter.* Sic Ambrosius infantis voce, divinâ inspiratione ex catechumeno nondum baptisatus, *c. statuimus. §. his omnibus. dist. 61.* Episcopus conclamatus est, & ab omnibus unanimiter receptus ut scribit Paulinus in ejus vitâ. Hoc modo creditur Leo XI. Pontificatum iniisse. Ita fertur electus Nicolaus ex laico in Episcopum, Beatus Severus assumtus ex lanificio in Archiepiscopum. Sed videtur hic modus antecedere vel certè comitari reliquas præsertim in concordi electione. Indicat enim concordia, præsentiam Spiritus S. *Vide cap. 2. h. tit. in 6.* ubi ex scrutiniis dicitur jus eligendi oriri. Scrutinium fit singulorum votis clam vel ut Polybius loquitur *κατ' μίαν* collectis, cujus ritus celebres erant in examine Catechumenorum, adhibito exorcismo apud Leonem magnum Epistolâ quinta. Ne scilicet pateat omnibus, quæ agantur, *can. 4. Synodi Laodicea* & ne electiones in præsentiâ audientium fiant. Denique per compromissum fit electio cum uni vel pluribus eligendi potestas committitur. *c. Sacrosancta h. t.* quorum judicio standum est, nisi indignum elegerint. *c. causam 8. h. t.* Id olim usurpatum in summâ discordia plebis & cleri docet concio habita à Sidonio Apollinari in electione metropolitani Bituricensis. Formam scrutinii refert Onuphrius Panvinius in annotationibus ad vitam Clementis V. apud Platinam, quibus peragitur electio Pontificis quandoque: Cardinalium inquit, qui conclave ingrediuntur solent quilibet seorsum eligere & decribere proprio codicillo, quem eligat, & proprio anulo codicillum seu breve obsignare, dehinc in calicem, quem

tenet Decanus ante altare injicere, postea verò numerantur brevium suffragia.

Cap. XII.
Ad cap. 1. X. de Elect.

Lucius Pontifex vel ut alii Codices, Pius, vel Alexander, variat enim lectio, constituit ut Presbyter eligatur à fratribus. Habetur hoc capitulum integrè in compil. primâ, unde constat Raymundum id truncatè in compilationem suam retulisse: Ita autem habet: Nullus in Ecclesiâ ubi duo vel tres fratres in congregatione fuerint, eligatur Presbyter, nisi eorum electione, & convocatis iisdem etiam parochianis, atque in unum consentientibus. Olim enim electio & ad populum pertinebat. Vide Cyprianum *lib. 1. Epist. 4. can. 26. & 28. caus. 16. q. 1. can. 3. & 7. dist. 24.* Hac de re notatu digna est l. 49. C. T. de Decur. ex quâ solennitas clericorum eligendorum tempore Constantini Imp. perspicitur. Nempe si in clericum eligendus quis erat, primo debebat assensus accedere ejus corporis, ex quo erat. Deinde & totius populi vocibus debuit expeti. Etsi enim synodi Laodicenæ *can. 13.* electiones plebi permissæ non fuerint, *μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον* semper tamen ratio populi in suffragando fuit habita, ut, præter citata modo loca, ostendit epistola synodica concilii Nicæni apud Theodoretum *lib. 1. c. 9.* ibi: *εἰ καὶ λαὸς αἱροῖτο.* Nazianzenus *orat. XI.* de Athanasio. Augustinus ad Alypium & ad Severum *epist. 27.* Vide Jacob. Gothofr. *ad l. 49. C. T. de Decurionib.* ubi addit hunc morum diu stetisse in Galliâ, idque ex pluribus Gregorii Turonensis constare locis *lib. 4. c. 26. lib. 8. c. 22. & initio lib. 10.* ex Synodo Aurelianensi, *5. c. 11.* ejusque consensionis civium formula exstat ap. Marculphum *1. form. 7.* ibi Bignonius. Junge Vicent. Cabot. *lib. 1. disp. c. 2.* Confer etiam *L. 6. & 17. C. T. de Epis. & Cler.* Etiam in ordine Romano populo convocato ordinandi eliguntur & eorum ordinatio publicatur. Sed hæc consvetudo paulatim abiit in desvetudinem. Ideo Raymundus detraxit ea, quæ ad jus laicorum pertinent, & in antiquis compilationibus habentur,

tur. Eo denique res venit, ut Clemens V. Ecclesias cathedrales in Curiâ vacantes, Benedictus XI. quatuor Ecclesias patriarchales, & Episcopales Ecclesias apud sedem apostolicam, quomodocunque vacantes, aut vacaturas, denique Pontifices posteriores omnes Ecclesias episcopales, sive in curiâ sive extra sibi reservarint *per regul. 3. Cancellariæ.* Regibus tamen Hispaniæ, Lusitaniæ Galliæ, Poloniæ, potestate nominandi relictâ & solâ sibi Episcoporum confirmatione & institutione retentâ. Ut adeo in solâ Germaniâ consvetudo electionis Episcoporum à Canonicis faciendæ per concordata Germaniæ servetur. Wagenereck. *ad cap. 11. de Elect.*

Cap. XIII.
Ad cap. 6. de Elect.

Est Alexandri III. & agit de electione summi Pontificis, desumtum ex canone primo concilii generalis Lateranensis sub Alexandro hoc III. quod statim post pacem inter Fridericum Imp. & Pontificem initam fuit habitum. Occasionem præbuit huic constitutioni pernitiosum schisma, quod octodecim annis duravit adversos Alexandrum à viginti tribus Cardinalibus electum. Octavianus enim quidam fretus auctoritate Imperatoris, Victoris nomine assumto, à duobus aut tribus Cardinalibus erat electus, cui mortuo Gvido Cremensis & postea Johannes Abbas Strumensis successerunt. Antipaparum partes sequebatur Germania & Italiæ pars maxima, quæ Imperatori adhærebat. Alexandri partibus primum Gallia, inde & alia regna Constantinopolis, Anglia, Scotia, & reliquus quasi orbis, ut est apud continuatorem Aimoim *lib. 5. c. 55.* adhæserunt. Pertinent ad hoc schisma *c. 5. h. t. & c. 1. Infra de schism.* sumtum ex *c. 2.* dicti concilii Lateranensis. Fugit in Galliam Alexander, sicut & ejus prædecessores Calixtus & Paschalis II. Plura de hoc schismate ex Arnulphi Lexoviensis, Johannis Sarisberiensis & Petri Cellensis epistolis legi possunt. Potissimum verò ex Radevico de gestis Friderici *lib. 2. c. 50. 51. 54. 55. 56. 66. & seqq.* Junge Gvillelmum Neubrigensem *lib. 2. c. 9.* Et Petrum Blesensem *Epist. 48.* ad Wilelmum Papiensem Cardinalem, cujus potissimum opera pax inter Imperatorem & Papam facta est

Venetiis

Venetiis *anno* 1177. *Neubrigens.* 3, 2. Edita est Lutetiæ Parisiorum anno 1632. historia concordiæ inter Alexandrum III. & Fridericum I. auctore Felice Conterelo Bibliothecæ Vaticanæ custode. Videantur etiam gesta ipsius Alexandri III. ex codice Vaticano MS. *in* fine dictæ historiæ. *p.* 189. *Francisc. Florens. Antecessor Aurelianensis.*

Cap. XIV.

De Cardinalibus. ad d. c. 6.

CONstituitur jus singulare hoc capitulo ut soli Cardinales Pontificem eligant, eumque verè electum censeri, quem duæ partes elegerint, quamvis olim, sicut in reliquis electionibus major & sanior pars sufficeret. *can.* 10. *dist.* 29. De electione Pontificis latè Barbosa *lib.* 1. *Jur. Ecclesi. c.* 1. *à n.* 30. ubi recenset varias de illâ Pontificum constitutiones, quarum ultimam edidit Gregorius XV. cujus mandato prodiit etiam ceremoniale, quo ritus hujus electionis describuntur. Sed redeamus ad Cardinales: Ita dicebantur olim clerici, qui non per modum provisionis, aut transcursim & ferè mutuatò, & ad tempus, sed qui fixè ac permanenter ad exercenda ecclesiastica ministeria illius Ecclesiæ propria collocarentur, ait *M. Ant. de Dominis, de Rep. Eccle.* 4, 5, 5. secutus procul dubio Onuphrium in explicatione vocum obscuriorum Ecclesiasticarum. Non aliter & Baronius *annal.* 1139. ubi de Diaconis Cardinalibus ait, quod licet diversis in locis agerent, unius tamen Ecclesiæ, ejusdemque primariæ cardine continerentur. Freinshemio non antiquior occurrit mentio, quàm circa annum 560. quum Johannes III. dilectis filiis Cardinalibus clericis Apostolorum scribens, significat se Ecclesiam illam titulum cardinalem constituere. Significavit ergo olim Cardinalis nil aliud, quàm ordinarios & fixos certæ Ecclesiæ clericos, neque Romanæ tantum Ecclesiæ, sed aliis quoque titulatis sui fuere Cardinales. Baron. *Annal. CXII.* 5. Titulatis, inquam, id est Ecclesiis ad publica ministeria Ecclesiastica deputatis. Erant enim præter has etiam oratoria, ad privatas tantum orationes, seu sepulturas fabricata. Vide *M. A. De-dominis.* 4, 5, 5. Fuerant itaque omnes Clerici ordinarii atque Cardinales olim. Postea cum quidam cœperunt addi, qui

qui nomen quidem clericorum ferrent, cæterum functione carerent, ad horum differentiam nomen Cardinalium frequentari cœpit. Eadem ratione, quâ Professorum in Academiis titulus tamdiu solus audiebatur, quàm diu nulli super numerarii crearentur. His verò obtrudi cœptis, quod vix uspiam, quàm in hoc Saxoniâ, frequentius fit, nomini Professoris, intra numerum constituti ut à supernumerariis discerni queat, addi solet titulus ordinarii. Sic quamdiu consiliarii solum appellabantur, qui actu & opere tales, simplex hæc nominatio satis erat ad officium & dignitatem istam exprimendam: Ex quo verò hodie & titulares Consiliarii nati sunt, addenda fuit Consiliariis veris, & in actu positis, nota eines würcklichen Raths/ ut benè observat Freinshemius *diatr. 1.* Quâ vero ratione ad solam Romanam Ecclesiam hæc indigitatio adstringi cœperit, explicat Volaterranus *l. 22. Anthropol.* Nimirum sicut urbis Romæ Episcopus cæteris præstabat, sic etiam clerus Romanus, cui titulos Evaristus primus omnium distribuit, iidemque Pontifici de communibus fidelium rebus adsistebant, cardinalium appellationem sibi soli vindicavit. Vide M.A. De dom. 4, 5, 29. & 30. Gerunt cognomen Cardinalium tres ordines Clericorum in Ecclesiâ Romanâ, Presbyteri, Diaconi, & secuti illos multo post tempore Episcopi. Presbyteri Cardinales omnium censentur antiquissimi. Hi præerant Titulis. *Tituli* nihil aliud sunt, quàm templa in memoriam sanctorum erecta, & per urbis regiones distincta, in quibus animarum cura à Presbyteris, qui ibi commorabantur, habebatur. Horum titulorum ab initio non ita erat numerus magnus sed cum tempore auxerunt ad XXVIII. Et quidem hac occasione. Veteris Romani Pontifices quinque in urbe majores Basilicas constituerunt, quas Patriarchales, palatia autem illis adjuncta, Patriarchia, appellabant. Eæ fuerunt. I. Basilica Lateranensis, quæ & Constantiniana & S. Salvatoris, item S. Johannis est appellata. II. Basilica S. Petri in Vaticano. III. Basilica S. Pauli extra muros urbis viâ Ostiensi. IV Basilica S. Mariæ Majoris, alias ad Præsepe. V. Basilica S. Stephani & Laurentii extra muros urbis viâ Tiburtinâ Is numerus placuit ob quinque orbis Patriarchas Romanum, CPolitanum, Alexandrinum, Antiochenum & Hieroso-

Tituli.

Patriarchia quæ.

rosolymitanum, ut quoties contigisset, hosce Patriarchas ad urbem accedere, eorum unus quisque suam sibi Ecclesiam, sedemque ac palatium ibi haberet. Prima ergo Basilica Romanam Ecclesiam repræsentat. Huic septem Episcopi ex circumvicinis civitatibus sunt assignati, qui statis diebus coram Romano Pontifice sacra celebrarent, vel Pontifici celebranti adsisterent. Secunda Basilica Patriarchalis typum gerit Orientis seu Ecclesiæ Cpanæ, eique assignati sunt septem Presbyteri Cardinales. Tertia repræsentat Ecclesiam Alexandrinam, cujus ministerio septem itidem assignati sunt Presbyteri Cardinales. Quarta Ecclesiam Antiochenam, cum septem Presbyteris Cardinalibus: Quinta Hierosolymitanam refert & habet similiter septem Presbyteros Cardinales. Septem igitur Episcopi & Presbyteri 28. faciunt 35. Cardinales sacerdotes, quibus accedunt 18. Diaconi qui numerum Cardinalium conficiunt 53. Sub Leone X, plus minus 65. Cardinales simul viventes fuerunt. Quum igitur Presbyteri Cardinales numerum 28. excederent, inveniendi etiam erant novi tituli.

Cardinales quot.

Diaconi.

Diaconi initio septem, singuli binis urbis regionibus præerant. Ex iis primus Archidiaconus vel Diaconus Cardinalis appellari cœpit: Postea fuit statutum, ut in singulis urbis regionibus singuli essent Diaconi, sic facti sunt XIV.

Denique Episcopi Cardinales sunt septem, Ostiensis, Portuensis, SS. Rufinæ & Secundæ alias Sylvæ candidæ. Sabinus Prænestinus, Tusculanus, Albanus. Hi quinque Ecclesiis Patriarchalibus in urbe sunt asignati.

Cap. XV.

Ad idem cap. 6.

Canones, qui de Pontifice eligendi.

Alexander III. ait initio hujus *cap. 6.* super electione Pontificis prædecessorum constituta manasse. Ea habentur *can. 1. dist. 23. can. 21. 22. 23. 28. in fi. 29. & seqq. quatuor. dist. 63. & totâ distin. 79. & initio Registri Gregorii VII.* Imprimis notari meretur *can. 1. dist. 23.* & jungi *cum can. 1. & 9. dist. 79.* contra Cardinalem Baronium, qui eum in dubium vocat, desumtus ex concilio Lateranensi, habito in Basilicâ Constantinianâ sive Lateranensi Patriarchio præ-

sidente

sidente Nicolao II. cujus decreti meminit P. Damiani, qui eo tempore florebat, in disceptatione synodali, inter Regis Advocatum & Ecclesiæ Romanæ defensorem, eumque verum & legitimum agnoscit defensor ipse Ecclesiæ Romanæ. Critici etiam Gregoriani testantur, hujus decreti integrum exemplum esse invetustissimo libro Abbatiæ monasterii Farfensis, literis Langobardicis ante annos penè quingentos scripto. Quin & Innocentius III. verba ipsius canonis refert *sermone III. de consecratione Pontificis.* Ex quo constat, Pontificis Romani electionem, sicut reliquorum Episcoporum fuisse penes clerum, populum & Imperatores. Nam Adrianus I. Carolo Magno facultatem constituendi Pontificis libere subjecit, & agnovit ultro. Quod jus cum Ludovicus Pius insuper habuisset, iterum translato imperio ad Germanos, Leo VIII. Ottoni I. cessit. Quæ quamvis à Baronio & Binio vel suspecta vel falsa dicantur, quasi primum à Sigeberto conficta, apud collectores tamen Canonum, etiam Gratiano antiquiores, saltem Sigeberto coætaneos reperiuntur. Vide Ivonem *parte 5 c. 79. & seq.* A. August. *dial 13. lib. 2. de Emend. Gratiani,* P. Damiani, *Epist. 20. lib. 1. & 11. lib. 8.* Tandem Alex. III. hoc nostro *cap. 6.* ad solos Cardinales definivit electionem Pontificis pertinere. Sanè tentatum id fuerat ab Innocentio II. quo mortuo primum Cælestinus II. rejectis suffragiis populi & cleri creatus est, adde Onuphrium in notis ad Vitas Innocentii II. Clementis III. & Alexandri. Sub Gregorio X. in concilio Lugdunensi generali hoc nostrum capitulum 6. confirmatum est, formaque conclavis introducta, & electionis solennia definita *canone primo* dicti concilii, unde petitum est *c. 3. de Elect. in 6.* Quod caput 3. per *cap. 2. de Election. in Clementinis* iterum fuit declaratum: Posteriores enim Pontifices sensim recesserant ab observatione Gregorianæ legis. Vide Onuphrium ad vitas Gregorii X. Johannis XXI. & Clementis V. Junge Johannem Andreæ *ad c. 3. de Elect. in 6.*

Conclave quando introductum.

Cap. XVI.

Ad c. 16. & 17. de Elect.

Species facti.

HOc caput petitum est *ex cap. 1 h. t.* collectionis III. & exstat apud Innocentium *lib. 2. Epist. 30.* Species hæc est: Vacante Abbatia Schafhusiensi, electus est Abbas R. senior. Electioni sese opposuerunt R. Junior & Monachorum alii. A. sede Apostolicâ R. senior coactus est transigere, & Abbatiam relinquere, custodiâ & prioratu à Cœlestino III. ad vitam accepto. Sed adversariis transactioni minimè stantibus ad sedem Apostolicam appellavit, interim Legatus sedis apostolicæ monachos suspendit & monasterium sacris interdixit. Ipsi vero suspensi à sacris non abstinuerunt, ideo ne ad electionem Abbatis procederent post appellationem interpositam R. Junior in Abbatem electus, ab Episcopo diœcesano benedicitur. Re ad Innocentium III. delatâ qui Cœlestino proximus successit, R senior electionem R. Junioris rescindi petebat, Pontifex decrevit appellationem à R. seniore nô jure interpositam. Monasterium S. ncti Salvatoris Schaffhusiense est ordinis Benedictini in Episcopatu Constantiensi, quod à Burchardo Comite Nollenburgensi conditum tradit Joachimus Vadianus *lib. 2. de veteribus monast. Germaniæ.* Ejusdem meminit Bertoldus Constantiensis ad annum MLXXXIII, & novissimè Gabriel Bucellinus in Chronologiâ Constantiensi ad annum 1083. Inscriptio est. *Abbatibus de Cellâ S. Petri & Mutinensibus alias Nutrinsibus Abbatibus.* Additur in 3. compilatione, *& preposito Vercellensi.*

Monasteriũ Schafhusiensi.

Pennensis Episcop.

Cap 17. inscribitur Pennensi Episcopo. Pennæ vel Pinna, *Citta di Penna*, urbs est Episcopalis Vestinorum in Aprutio antiquâ gentis Farnesiæ. Hic Episcopatus unitus est Atriensi, sub Archiepiscopo Theatino regni Neapolitani.

Cap. XVII.

Ad c. 18 & 19 X. de Elect.

CAp. 18. desumtum est, ex *c. 3. eod. tit. in 3 Compilatione.* scriptum ad Capitulum Capuanum: Conjungendum autem est cum c parte sequenti petitô ex eâdem compilatione c. 4. Utrumque enim pertinet ad electionem Metropolitani Capuensis. Emendan.

danda itaque inscriptio *cap. 19.* & pro Archiepiscopo, scribendum Archidiacono. Archiepiscopus enim nullus tum erat, quippe mortuus apud Panormum & agebatur de alterius electione. Quæ electio fieri debet intra tres menses ex concilio Chalcedonensi *can. 25. can. quamvis dist. LXXV.* Sed potest tamen id tempus arctari à Capitulo, & absentibus brevior terminus præfigi. In hoc igitur capite nostro à Capitulo Capuano non amplior terminus quàm duodecim dierum datur absentibus, ad electionem perveniendi causâ quod probat Pontifex hac ratione, quod terminus trium mensium constitutus sit favore Capituli, cui, tanquam juri prose introducto, liceat renunciare, maximè si periculum sit in morâ, neque etiam vocandi sunt, qui Episcopi obitum præsentialiter cognoverunt, ut loquitur Innocentius in nostro cap. id est, illi qui præsentes fuerunt tempore morientis. Episcopi non debent vocari. Neque enim certiorari debet, ut loquuntur nostrates *l. 1. fin. ff. de Act. Em* qui non ignoravit Et mandat porrò ut electione canonicè factâ, nuncios ad se mittant, per quos à Pontifice vice Regiâ postuletur assensus. Quare verò vice Regiâ? Cur præter confirmationem Pontificis, etiam jubetur, postulari assensus vice Regia? Interpretibus hic hæret aqua, ut videre est apud Abbatem Panormitanum hic. Sed ratio ex historiâ ejus temporis petenda. Constantia vidua Henrici VI. Imperatoris & Regis Neapolitani testamento tutelam Friderici, filii sui impuberis Innocentio III. & sedi Apostolicæ commiserat. Itaque in universo regno Neapolitano & Principatu Capuæ vices Regis & domini gerebat, ut Tutor Friderici pupilli. Duplicem ergo gerens personam Pontifex & Regis & Pontificis, assensum quidem suum vice regiâ sed gratiam Apostolicæ confirmationis ut Pontifex desiderabat. Ergone Reges ac Principes concurrunt ad electionem Episcoporum? Ita sanè pro et pluribus à nobis tractatum est ad dist. LXIII. publicè, superiore anno cum Gratianum explicaremus.

Emendatio inscriptionis.

Vice Regiâ, quid.

Cap. XIIX.

Ad c. bonæ memoriæ. 23. de Elect.

Elegans species est hujus capitis: Conrado Archiepiscopo Moguntino, Comite de Witelsbach diem functo, lis fuit in Eccle-

siâ Moguntina, super electione novi Episcopi. Litis hujus causa extitit, odium Pontificis Innocentii III. adversus Philippum Svevum Ducem: Vix fama de morte Henrici VI. Imperatoris percrebuerat, cum Philippus, ut exequeretur fratris Henrici VI. testamentum celerrimè ex Hetruriâ sese in Germaniam proriperet, Imperiique proceres, promissi, quod filio Henrici Friderico II. fecerant, admonuit. Promissum erat tale, ut Friderico Imperium Germaniæ gubernandum darent & literis confirmarent. Postulavit itaque Philippus, ut cum ætas Pupilli procul abesset ab eâ maturitate, quæ in gubernatore requiritur, vel relinqueretur ipsi administratio tutorio nomine, sicut instituisset pater testamento, exemplo Henrici III. vel si id è re non videretur, traderetur sibi interea imperium, quo rursum cessurus sit Friderico ubi adolevisset, ut satis fieret voluntati Parentis & promisso Principum, Europa verò certo rectore non careret. Deliberata sunt hæc & tractata Hagenoæ consilia gubernante Episcopo Argentinense. Oderat Pontifex totam Friderici posteritatem, & quibus poterat artibus premebat, præ cæteris autem Philippum, quod velut metis ipsi circumdatis in Italiâ restrinxerat immoderatam ejus potentiam. Ideo falsis criminationibus eum prægravabat apud Imperii ordines, movitq; aliquos Principum ut eligerent Bertoldum Zaringiæ Ducem, prædivitem sed sordidè avarum. Contra hunc adhærebant Philippo alii Principes, & inter hos Conradus Archiepiscopus Moguntinus, cui propterea, quod Philippo studeret, ademit Episcopatum Pontifex, idemque successori Lupoldo, tertio Sigefrido; quod hostiliter se gereret erga Philippum & partes Ottonis, Henrico Leone Ducis Saxoniæ nati sequeretur, admisso ac recepto. Hic Suffridus Præpositus erat S. Petri Moguntini, idemque majoris Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus ut constat ex Trithemio chronico Hirsaugiensi ad *A. 1200.* & metu Philippi cum asseclis suis secesserat in oppidum Bingen & ne à capitulo sine ipsis electio fieret, appellavit ad sedem Apostolicam. Capituli pars major postulavit Lupoldum, alii Leopoldum appellant, Wormaciensem Episcopum, qui statim ne quid contra postulationem tentaretur, appellavit, & à Capitulo receptus in spiritualibus ac temporalibus cœpit administrare. Pauci

ei, qui de partibus Sigfridi erant, jus eligendi ad se devolutum censebant, Sigfridum elegerant. Re ad sedem apostolicam delatâ Gvido Prænestinus Episcopus, qui tum Pontificiâ legatione fungebatur in Germaniâ, ex mandatu Pontificis causâ cognitâ postulationem Lupoldi Wormaciensis rescidit, & electionem Præpositi Sigfridi licet à paucioribus factam post appellationem, confirmavit. Quæ omnia confirmat Innocentius, ut habetur in nostrâ decretali, & legi possunt plura apud Abbatem Urspergensem, Trithemium in chronico Hirsaugiensi, Arnoldum Lubecensem in supplemento Helmoldi *lib. 6. c. 3.* Serrarium *lib. 5. rer. Mogunt.* Henr. Mutium *lib. 8.* Judicium Abbati Urspergensis qui eo tempore Romæ vixit, super hoc Pontificis facto tale est: Electione hac, Pontificem fecisse non judicium, sed injuriam. Quare hanc operam impendamus isti decretali, ut justitiam judicii Pontificalis paulo diligentius quamvis prærer institutum nostrum inquiramus. Rationes Pontificis cur postulationem Wormaciensis Episcopi rescidit & electionem præpositi, licet à paucioribus factam, & quidem post appellationem interpositam confirmavit, hæ erant. Prima quidem quod postulatio fuisset facta post & contra appellationem à præposito & sociis interpositam. At verò electio facta post & contra appellationem nulla est & irrita. *cap. consideravimus c. cum nobis supra h. t.* Secunda, quod postulatio Lupoldi facta fuisset per vim & metum, & ob præsentiam Regis. At verò electio facta per impressionem Laicorum ipso jure nulla est. *cap. Ofius f. h. t. c. non est permittendum dist. 63.* Tertia, quod postulatus ultro irrepsisset seq; intrusisset tam in temporalib9, quàm spiritualibus ante admissam postulationem. Si enim scienter eligentes indignum, potestate eligendi privantur, sequitur quod & ultro recipientes postulatum ad administrationē, ante quam fuerit approbata postulatio, eligendi potestate privari debeant: Sicut enim electus ministrans ante confirmationem cadit jure suo *cap. qualiter supra h.* ita & postulatus ministrans ante admissam postulationem. Idq; tanto magis quod postulatio nitatur merâ gratiâ confirmantis, neque per eam jus ullum adquiritur postulato *c. postulationem, supra. de post. prælat.* Objicebat: At electio à paucioribus erat facta, postulatio à pluribus. Resp. hoc ideo fiebat, quia ob contemtam appellationis postulantes privati erant potestate eligen-

gendi, & jus eligendi devolutum erat ad pauciores. Ubi enim major pars scienter eligit aut postulat indignum, potestas eligendi devolvitur ad minorem partem. *c. cum VVintoniensis h.t.c. gratum. supra de postul.* Quin imò ait Pontifex si omnes deliquissent, jus eligendi devolutum fuisset ad Pontificem, tanquam proximè superiorem.

Cap. XIX. Ad cap. 24.

Quod Cardinales præter proprios titulos etiam alias possint Ecclesias commendæ nomine gubernare, docet Panormitanus ad hoc cap. In quo proponitur G. tituli S. Vitalis (qui & Vestinæ, sed & S. Gervasii, & S. Protasii titulus appellatur) Presbyter Cardinalis, per œconomum Ecclesiæ S. Agathes. cujus administrator erat judicio possessorio egisse contra P. Presbyterum Ecclesiæ S. Salvatoris, super Ecclesia ipsâ, quam pleno jure contendebat ad Ecclesiam S. Agathes pertinere, tam in spiritualibus, quàm temporalibus: sed & pensionem annuam sexdecim denariorum Papiensium subtractam Ecclesiæ S. Agathæ petiit restitui. Contra excipiebat P. presbyter se ad Ecclesiam S. Salvatoris per electionem plebis à Cardinali S. Susannæ, ad quem Ecclesia pertineret, canonicè esse constitutum: Ecclesiam autem S. Salvatoris nullam debere pensionem Ecclesiæ S. Agathæ. Pontifex causâ cognitâ absolvit Presbyterum à petitione Oeconomi quantum ad electionem & institutionem. Non item de pensione annua sex denariorum, quia per multa tempora fuisset persoluta, salvâ in utroque casu proprietatis quæstione. Hæc est facti species. Ecclesia S. Agathæ est una ex octodecim quæ assignatæ Diaconis Cardinalibus, eam administrabat G. Presbyter Cardinalis tituli S. Vitalis, per œconomum. Oeconomus vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractat. *Conc. Tolet. cap. 43. l. 3. inf. C. T de his qui ad Eccles.* ubi ita definiuntur, qui Ecclesiasticas consueverunt tractare rationes qui τῶν ἐκκλησιαστικῶν κτημάτων πρόνοιαν subibant, de quibus est & Gangrensis concilii *c. 7. 8.* Et sunt canones Chalcedonenses *2. 25. 26.* Vide Cujac. ad Nov. 3 Jacob. Godof. *C.T. de bon. cler. tom. 1. fol. 438.* Barbos. ad l. omnes 33. C. de Episc. & Cler §. hoc nihilominus. Is constituendus erat ex proprio clero *can. 26. Concilii Chalcedonensis.*

Species facti.

Ecclesia S. Agathæ.

Oeconomus.

FINIS. Ecloga III.

Amœnitatum Juris Canonici menſtruarum NOVEMBER,

ſeu

ECLOGA quarta

CAP. I.

Ad inſcriptionem cap. 26. de Elect. & Ele. pot. Ciſtercienſes.

INſcriptio apud Gregorium nonum ita habet: Abbati Ciſtercienſi R. & P. Monachis Fontis frigidi. Addendum: *Monachis Fontis frigidi Ciſtercienſis ordinis, Apoſtolica ſedis Legatis*. Ciſtercienſis ordo regulam Benedicti ſequitur, ſed liberius mutatis cum habitu obſervationibus quibusdam. Primitus nigris utebantur veſtibus, quas B. Martinum & antiquos in Galliâ induiſſe ex Petro Cluniacenſi videre eſt *lib. 4. Epiſt. 17.* Canonici verò omnes, qui ſub B. Auguſtini regulâ vivebant, Albis incedebant. Hinc Monachi alii nigri, alii albi. Nigri antiquum nomen retinentes regulam S. Benedicti ſtrictè ſervarunt. Secus atque Ciſtercienſes. Jacob. de Vitriaco *c. 13. hiſt. occid. Cum igitur*, ait, *à priſcis temporibus, in partibus occidentis duæ tantum fuiſſent Regularium Diverſitates; Monachi ſcilicet nigri, S. Benedicti regulam profitentes, & Canonici albi, ſecundum regulam B. Auguſtini viventes, poſtquam peccatis exigentibus, primò modica negligentes paululum cadere cœperunt, tandem ad tantam diſſolutionem plures Regularium conventus devenerunt, quod viri timorati & prudentes ſub alio habitu & aliis inſtitutis Domino militaturi ab ipſis receſſerunt.* Species facti hæc erat: Defuncto Fulcrando Epiſcopo Tholoſano circa annum MCCI. Raymundus de Rapiſtagno, ex Archidiacono Agennenſi in Epiſcopum Tholoſanum eligitur. Unus electorum ſuorum quidam fuit Maſcaron, Cancellarius, quæ eſt primaria dignitas in Eccleſiâ Tholoſanâ poſt Præpoſitum. *Capell. Tholoſſ. q. 13.*

Emendatur inſcriptio Ciſtercienſes.

Species facti.

Hic

Mascaron. Hic (apud Arnoldum) ita vocabatur ejus temporis Abbas Cisterciensis, ad quem Pontifex rescripsit Radulfum & Petrum de castro novo Monachos Fontis frigidi, Cisterciensis ordinis, sedis Apostolicæ Legatos, in causâ Albigensium, & specialiter inquisitores delegatos super statu Episcopatus & Episcopi Tholosani juratus

Raimundus. asseruit, Raymundum, olim Tholosanum Episcopum, Canonicis persvasisse ut in Episcopum eligeretur. Vide cap. 36. h. t. unde simonia contracta censebatur, *can. ordinationes. c. 1. q. 1.*

Cap. II.

Ad cap. 30. h. t.

SCribit Innocentius Abbatibus Grandis sylvæ & Bellæperticæ. Hi sunt Abbates Cisterciensis ordinis in diœcesi Tholosanâ. Grandis sylvæ monasterium temporibus D. Bernhardi epistola 241. ordini Cisterciensi addictum: Verba Bernhardi: *Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis Abbas Grandis-sylvæ & domus ejus quæ ut nostra est nuper nobis & nostro ordini ab ipso tradita, & Ecclesiæ Claraevallis specialiter associata.* Eâdem tempestate ibidem monachum professus est Guilielmus Comes Montispessulanus, ut habetur in vitâ ipsius Bernhardi *lib. 4. c. 1.* Species facti hæc est: Vacante Ecclesia Tholosanâ electores ex compromisso sumti, pars major postularunt Convenorum Episcopum, alii duo elegerunt ex intervallo Archidiaconum Aginnensem, Raymundum de Rapistagno, seu Rabastein. Pontifex postulationem Episcopi convenensis admisit. Siquidem idoneus fuerit ad Albigensium hæresin extirpandam, quæ in diœcesi Tholosanâ invaluerat, ut habetur in capitulo nostro. Hujus sectæ expugnandæ gratiâ ab Innocentio III. missi sunt legati Petrus de Castro novo, & Radulfus, Cistercienses monachi. Convenæ Plinio & Straboni Aquitaniæ populi, ad Pyrenæorum radices, *Comminges.* Civitas hodie S. Bertrandi nomine insignita est. Garumnos populos vocat Cæsar de Bel. Gall. Confer D. Hieronymum *epist. 2. adversus Vigilantium.* Convenarum Comes vasallus fuit Comitis Tholosani. Deinceps transactione, quæ asservatur in capitolio Tholosatum, inita inter Carolum VII. Regem Christianissimum, & Matthæum Comi-

Marginal notes: *Grandis-silva.* *Species facti.* *Albigenses.*

Comitem Convenarum anno Domini 1442. feudum domanio Principis accrevit, jure fideicommissi, cujus formulam rogaverat inseri tabulis testamenti, anno Domini 1375. *Bosquetus ad lib. 13. Regesti. p. 229.*

Cap. III.

Ad cap. 32. 33. 37.

Agitur *in c. 32.* de electione Morinensis Episcopi. Morini, μέγιστοι Ptolemæo, Straboni, Cæsari, Belgii populi, proximi oceano, quâ Britanniam spectat. Virgilius 8. Æneid. Extremique hominum Morini. Et Paulin. *Epist. 28.* ad Victricium Rothomagensem: *In terrâ Morinorum situ orbis extremâ, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus.* Flandros interpretatur Chronicon Normannorum ad A. 1151. *Comes Morinorum, quos moderni Flandros nominant.* Horum civitas Episcopalis Tervana, seu Teroana, à Carolo V. excisa, quæ fuit suffraganea Archiepiscopi Remensis. Vide supra. *Morini. Tervana, Teroana.*

In cap. 33. Rescribitur Episcopo Bajocensi, cui nomen Roberto fuit, ut habet auctor Galliæ Christianæ. Episcopatus Bajocensis, sub Archiepiscopatu Rotomagensi ad sequanam in Normanniâ. *Bajeux.* Bajocasses Cæsari & Ausonio noti, Galliæ Lugdunensis populi. Bajocassina prædia in Galliâ Lugdunensi habet Sidonius *4. Epistol.* Hic Robertus Episcopus Innocentio nostro dicitur juris peritus, quæ non ultima Episcopi laus est. Hoc encomio celebratur Gregorius NeoCæsariensis, quod legum Romanarum fuerit peritus. *Socrates lib. 4. c. 22.* ὅτε γὰρ ὡς τῶν Ἀθήνησι παιδευτηρίων ἀναχωρήσας, ἐν τῇ Βηρυτῷ νόμους ἐμάνθανε. Consilio Rhetoris cujusdam se legibus operam dedisse confitetur in panegyrico ipse ad Origenem, & addit, à magistro accepisse, maximum ei viaticum fore legum studium. Sic leges Beryti didicisse memoratur Severus Antiochenus Episcopus, de quo *Evagrius lib. 3. c. 33.* Petrus Pisanus Episcopus unus è partibus Petri Leonis, legum & canonum peritus celebratur vitâ D. Bernardi *lib. 2. c. 7.* ut observat doctissimus Dadinus. *Episcopat. Bajocensis. Episcopi juris periti.*

Luxoviensis Episc. In cap. 37, legendum, non Lexoviensi, sed Luxoviensi Episcopo *du Lusseul*, in Comitatu Burgundiæ. Cæterum sub obscura sunt hæc verba: Cum nullam spem vel promissionem *habens*, ut Abbas fiat, debeat monachari. sensus est, nullam spem aut promissionem ut Abbas fieri possit ubi habet electus: cum oportere prius monachari, alias abbas non fiet. Junge *cap. 49. h.t.*

Cap. IV.

Ad capitulum 40.

EPistola hæc habetur *lib. 3.* Regesti. 15. Et in collectione IV. Pertinet huc, quod scribit Godefridus Monachus *in annal. ad ann. 1215. Papa Romæ Concilium habuit, ubi tam de transmarinis partibus, quam de cunctis Christianorum finibus, Patriarchis, Episcopis &c. congregatis in Ecclesia S. Johannis Baptistæ concilium in festo S. Martini inchoatum, & usque ad festum S. Andreæ protractum nihil dignum memoriæ, quod commendari posset, actum est, nisi quod Orientalis Ecclesia (quod ante inauditum fuit) se subditam Romanæ Ecclesiæ exhibuit. Nam Cpoli duo in Patriarcham electi Romam venerunt, qui ambos consilio Cardinalium deposuit, & tertium substituit, & investivit, & ad sedem propriam remisit.* Hæc Godefridus. Captâ enim Constantinopoli à Francis & Venetis, Patriarchæ Constantinopolitani electionem Innocentius sibi sumserat, quæ hactenus penes Imperatorem fuerat, ejque hanc formam dederat, ut esset penes Canonicos Patriarchalis Ecclesiæ & Præpositos conventualium ecclesiarum Constantinopolitanæ civitatis. *(Patriarchæ Cpolitani electio venit ad sedem Rom.)* Inscriptio est ad MAXIMUM, qui dignitate Magister audit, officio Notarius Apostolicus. Est enim Magister nomen dignitatis. *(Magistri dignitas.)* Dicuntur ita graduati in Theologia & artibus liberalibus, teste P. Gregorio. Dicuntur & cujuslibet disciplinæ præceptores hoc nomine, uti magistratus vox pro docendi potestate. *l. un. C. de stud. lib. urb. Rom.* Magistrare docere est. *Spartianus Hadriano*: vitam militarem magistrans. Festus: *magistrare, regere & temperare est.* Dicuntur Magistrationes etiam loca ipsa seu cellulæ, in quibus docetur. *l. 3. C. Th. de stud. lib. urb. R.* quæ est *l. un. C. Justin. eod. tit.* Maximus iste salutatur *Notarius Apostolicus*. *(Notarii Apostolici Regionarii.)* Hos institutos à Clemente

mente per septem urbis regiones, ut Martyrum gesta perscriberent, unde notarii regionarii dicti, refert Anastasius & Platina *in Clemente.* Cum vero temporis progressu negligentius exsecutioni publica hæc liturgia mandaretur, Anterus Pontifex Romanus denuo circa annum salutis 238. gesta illa Martyrum apud Notarios deposita diligenter conquisita in Ecclesiæ apothecas recondidit. Notariis deinceps addidit ἐπισκόπους καὶ ἱεροδιάκονας Fabianus successor Anteri, septem nimirum Diaconos, per septem urbis regioues, qui cujusque dignationis martyrum tormenta consignabant. Alii erant Romanæ Curiæ & S. R.E. proprii Scriniarii & Notarii, qui scribendis Papæ actibus inserviebant. Hi vices Cancellarii supplebant. Iidem literas Apostolicas & tabulas ecclesiasticas perscripserunt. *can. quidam. c.5. qu.1. can. 2. c. cum redemtor. c.12. qu.2.* Unde iidem chartularii. *can. quâ de causâ. c.2. qu. 5.* Eorundem munus fuit scrinia seu archiva Ecclesiæ tueri atque custodire, unde & Scriniarii dicti. *c. ad audientiam. de Præscript.* Glossæ Basilicæ: *σκρίνια ἢ ἀρχλαι.* Etymologus *σκρινιάριος τῆς δυκικῆς ὑπάρχων τάξεως λατίνων φωνῇ ὁ δὲ νοτάριος, ἑλληνικῶς χαρτοφύλαξ.* Suidas. *σκρινιάριος, ὁ χαρτουλάριος τοῦ ἐπάρχου, ὁ αἴρων τὸ σκρίνιον ἤτοι τὸ κιβώτιον.* Postremò iidem Protonotarii dici sveverunt, ut in *pragm. tit. de caus. c.1. §. Romanæ & ibi Glossa.* Duo ergo Romæ Notariorum genera, quamvis utrumque genus & urbis & curiæ in iisdem hominibus sæpè conveniebat, ut in Sergii IV. diplomate: *Scriptum per manus Benedicti Notarii Regionarii & Scriniarii S. R.E.* Uti nec impediebat Notarium Apostolicum fuisse & alterius alicujus urbis. Ita in Epistolis Innocentii III. *lib. 2. Epist. 22.* Ego Guido S.R.E. & Piperni Scriniarius interfui & subscripsi. Species facti in capitulo isthoc hæc est: Mortuo Thomâ Mauroceno qui primus è Latinis electus est Patriarcha Constantinopolitanus, Electorum suffragia exstiterunt imparia, aliis Heracliensem (ita enim rescribi oportet pro *Eradiensi*) Archiepiscopum, aliis Plebanum S. Pauli de Venetiis eligentibus. Re Romam delatâ, causæ cognitionem Pontifex Magistro Maximo mandavit, cumque Constantinopolin misit, cui tamen finem non imposuit Venetiis moratus. Quare postea causa commissa fuit Pe-

Notarii Ecclesiæ.

Scriniarii

Duo genera Notarior.

lagio Albanensi episcopo Constantinopolin legato, ut videre est *ex lib. 4. Epist. Innocent. 104. 105. 106. 112.*

Cap. V.

Ad cap. 45. 46.

Cap. 45. POst obitum Thomæ Mauroceni primi Patriarchæ Latini ut supra dixi, longamque dissensionem inter Capitulum Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Venetos, ac alios, qui jus eligendi ad se pertinere tendebant, neque Archiepiscopus Heracliensis, neque Plebanus S. Pauli, sed tertius quidam, nomine Matthæus fuit constitutus, ut tradit Apamiensis Episcopus, ad annum 18. Innocentii III. *n. 12.* Honorius de expensis in nostro Capitulo decidit ut de bonis Patriarchatus debeant solvi. Pro voce, *auctoritate* quinta compilatione ponitur, *authenticâ*.

Emendatio c. 46. In *cap. 46.* Pro, *Lugdunensi*, reponendum est, *Lundensi*, ut supra *cap. 2. de Consuet.* Nihil enim apud Historicos Ecclesiæ Lugdunensis quod ad hypothesin hujus capitis pertineret. At historici rerum Danicar. testantur Archiepiscopum Lundensem, Andream Sunonis anno 1222. sub Honorio Papâ impetigine laborasse, vitæque saturum se munere abdicasse, & insulam, Istoam apud Scanenses, in medio dulcis aquæ lacu amœno sitam, se quieti dedisse. Ei Uffo fuit subrogatus, cujus electio hic irrita pronunciatur.

Emendatur c. 46. Ebroicensis. Cap. 47. inscriptio itidem corruptissima est: Cum Eboracensi nihil rei Honorio hoc loco: Legi debet, *Ebroicensi*. Ebroicorum meminit in Galliâ Lugdunensi Gallicarum provinciarum nomenclator. Quod ostendunt & cætera loca capituli, ut Abbatia S. Taurini quæ est in civitate Ebroicensi ad Itonem, ordinis Benedictini, quam Comes Robertus vel Richardus fundavit, in honorem S. Taurini primi hujus urbis Episcopi, teste Orderico Vitali *lib. 5.* Ostendit & Abbatia S. Leofredi de Cruce, quæ Abbatia quo-

Abbatia S. Leoffredi de Cruce. que est diœcesis Ebroicensis, dicta *La Croix sainct Leofroy*, ordinis S. Benedicti. Ostendit monasterium Fiscanense, *Fescan*, diœcesis Rothomagensis, apud Caletes. Vide de eo Glabrum Rudolphum, P. Diaconum *lib. 1. Longob.* & Ivonem *Epist. 19.* Ostendit

dit Legatus Apostolicus tituli S. Johannis & Pauli, qui primo Honorii Pontificatus anno missus est non in Angliam, sed Galliam. Fuit is Bertrandus, notante Cironio. Neque Abbati *S. Vindoci*, quem Raymundana editio obtrudit, locus est: *sed Judoci*. Duæ sunt Abbatiæ hujus nominis, in diœcesi Ambianensi, una quæ vocatur Sammartini S. Judoco in nemore, ordinis Præmonstratensis fundata, anno 1121 Alia vocatur S. Judoci ad mare *S. Josse sur la mer*, sive Pontivium, *Pontieu*, ordinis Benedictini, fundata à Carolo M. sed censet Cironius rectius hanc vocari S. Vindoci Bergensis, familiæ Benedictinæ, diœcesis olim Morinensis, nunc Iprensis. Vulgo Winoxbergen. *Abbatio Judoci.* *Sainct Josse.*

CAP. VI.

Ad cap. 46. 51. 54.

Agitur de electione Rothomagensis Archiepiscopi post mortem Roberti Pulli, electi, anno 1208. & sedit usque ad annum 1221. in cujus locum successit Theobaldus, ordinatus anno 1222. de quo Guillelmus Brito lib. 12. Philipp. *Cap. 46.*

Et qui Rothomago Theobaldus præsidet urbi.

Post hujus obitum rursus disceptatum fuit super electione sub Gregorio IX. ut videre est ex *cap. Dudum. 54. h. tit.* ubi tractatu habito & publicato scrutinio, antequam electio fieret, appellatio ad Rom. Pontificem devoluta est, & tunc demum scrutinium delatum. Vide Glossam *h. l.* & Panormitanum dissentientes inter sese.

Cæterum Laicos penitus excludi ab electione Prælatorum non tantum in Ecclesiis conventualibus vel monasteriis, sed etiam in collegiatis, eisque, licet Patroni sint, assensum solum relinqui electioni jam factæ, ex *capit. 51. & 56. constat.* In quo *cap. 51.* rescribitur Abbati Cluniacensi cui Prioratus S. Pancratii Leuvensis, diœcesis Cicestrensis in Angliâ (*chichester* sub Archiepiscopo Cantuariensi) subditus est, ut habet catalogus Cœnobii Cluniacensis. Tertius locus inter Priores assignatur in Bibliotheca Cluniacensi huic Priori Lewensi, post Priorem claustralem Cluniacensem. Fundatum est hoc monasterium à Gvillelmo Varenniæ Comite in Provinciâ Suffexia, *Cambden, in Britan.* Unde in nostro *cap. 51.* *Prioratus Leuvensis.* *Cap. 51.*

neque

neque *Valerniâ*, neque *Varenta*, sed *VVarennia*, *Varennia*, *Varennâ* rectè legitur.

Cap. VII.

Ad tit. 7. de translat. Episcop.

Translatio vetita. IN canone Niceno 15. vetatur ὥςτε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν μήτε ἐπίσκοπον μήτε πρεσβύτερον μήτε διάκονον, *ut à civitate in civitatem neque migrare liceat Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono.* Quod confirmatur in concilio Antiocheno *c. 21.* & Sardicensi *c. 1. & 2.* Synodus Romana sub Damaso communione privat ab unâ Ecclesiâ in aliam commigrantes quamdiu ad primam non redierint. Concilium Carthaginense *can. 48.* damnat in universum translationes, easque jam in Synodo Capuensi damnatas pronunciat. Prohibentur igitur his aliisque locis migrationes & invasiones avaritiâ aut ambitione susceptæ absque auctoritate superiorum: Non item translationes quæ fiunt ab uno Episcopatu in alium, ex causâ honestâ atque necessariâ. (Quas etiam sæpius usurpatas in Ecclesiâ pluribus à Socrate allatis exemplis *lib. 7. c. 35. & 39.* & Theodoreto *lib. 5. c. 4. & 8.* liquet. Utrum autem cessura sit in utilitatem Ecclesiæ tranlatio, nec ne Metropolitani cum comprovincialibus Episcopis cognoscebant, ut ostendit, *can. 27. concilii Carthag.* relatus à Gratiano *can. Episcopus 37. c. 7. q. 1.*

Differentia inter μετάθεσιν μετάβασιν & ἐπίβασιν. Rem istam atque differentiam juris Canonici Interpretes Græci commodissimis terminis exprimunt, distingventes inter μετάθεσιν, μετάβασιν & ἐπίβασιν. Quarum primam permittit canon decimus quartus apostolicus, quia pro Ecclesiæ utilitate suscipitur & plurimorum Episcoporum judicio, οὐκ' ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων. Alteram etiam permittit *can. 16. Antiochenus* cum Episcopus sede suâ pulsus, quæ ab Ethnicis aut hæreticis occupatur, in Ecclesiâ vacante functiones Episcopi exercet. Sed tamen hac lege, si in synodo provinciali approbaretur μετὰ διαγνώσεως τελείας συνόδου. Invasio autem prorsus est illicita, cum nimirum Episcopus suâ sponte ab unâ Ecclesia in aliam migrat, & ad eam transfertur absque ullâ Ecclesiæ utilitate. Extat in jure Græco-Romano Freheri *lib. 4. pag. m. 293.* Epistola de

de translationibus, ubi earum exempla plurima recitantur & additur, Cœlestinum Papam Romanum scripsisse tribus Epistolis ad Cyrillum Alexandrinum, Johannem Antiochenum & Rufum Thessalonicensem, *καταμηνύειν προσήκειν τοῖς κανόσι τὴν μετάστασιν τῶν ἐπισκόπων ἀπὸ ἑτέρας πόλεως εἰς ἑτέραν, ὡς ὁ Σαζομένου λέγει ἑρμείας. ὅτι ἡ μετάβασις κεκώλυται οὐ μὴν ἡ μετάθεσις* *nullo modo canonibus adversari translationem Episcoporum ab unâ civitate in aliam, quemadmodum Sozomeni filius Hermias ait.* Quippe migratione prohibitâ, non translatione. Refert etiam aliquos translatos Socrates lib. 7. c. 55. Jvo in præfatione Decreti Nicephorus lib. 14. c. 39. Quamvis vero Synodus Antiochena, in quâ canon 21. expositus est, habita censeatur fuisse ab orientalibus tantùm Episcopis Semiarianis, neminemque occidentalium interfuisse, & multos canones obliquè tam in Athanasium, quàm in alios orthodoxos fuisse compositos, quibus postea Patres Sardicenses canones contrarios ediderint, idque ex comparatione canonum utriusque Synodi & Nicephoro *lib. 9. c. 13.* volunt colligere, adeoque manifestissimè pugnare canones Antiochenos, cum Sardicensibus: Nullam tamen hac in re pugnam reperio. Nam & canon Nicenus 15 & Antiochenus 21. & Sardicensis primus loquuntur de migratione, & spontaneâ transitione. Et quamvis *can. Sardicensi 2.* illa etiam mutatio improbetur, quæ ad desiderium populi & literas ejusdem adhibita fuerit, neque sic tamen obloquitur anterioribus canonibus, siquidem utilitas Ecclesiæ aut necessitas translationem, causâ cognitâ, non sordes, avaritia, ambitio, aliæve fraudes promoverint. Quæ quamvis ita sint, non tamen ex pravâ applicatione horum canonum sine controversiâ translationes istæ transierunt. Exemplum insigne est, de Gregorio Nazianzeno, cujus translationem improbabant pariter & occidentales & Ægyptii Episcopi. Hi ideo, quia sicut Meletius, Patriarcha Antiochenus è Sasimorum Episcopatu Gregorium Nazianzenum transtulerat Constantinopolin, ita & Timotheus, Maximum Constantinopolitanum ordinaverat. Socrates *lib. 5. c. 5. in fin. & c. 7.* ubi Interpres non intellexit hæc verba, *ὡς ἐπὶ ὑπερόρίος*, quæ volunt eum diœceseos suæ fines supergressum esse, translatum

Gregorii Nazianzeni translatio improbata.

Sasimis Constantinopolin, ut idem Socrates *c. 8. lib. 5.* vim vocis hujus exprimit & *can. 2.* concilii Constantinopolitani, quibus adde Sozomenum *lib. 7. c. 9.* Qui plura exempla translationum præter ea quæ in jure Græco-Romano, loco superius nobis indicato, desiderat, adeat Socratem *lib. 7. c. 35.* Burchardum *lib. 1. c. ult.* Ivonem in *præfat. decreti*, Nicephorum *hist. Eccles. lib. 14. c. 39.* qui & in fine meminit Epistolæ Anteri. Quæ tamen non ea est, quam Gratianus exhibet *can. 34. c. 7. q. 1.* Hanc enim supposititiam esse plus satis certum est. Antonio Augustino jam tum suspecta fuit Toletanæ provinciæ in epigraphâ nomen, quod illis temporibus Toletum oppidum minus nobile fuerit; Quod ait deinde Eusebium de quadam parvâ civitate mutatum fuisse Alexandriam, falsum est. Nullus enim inter Alexandrinos Patriarchas eo nomine appellatur in catalogo, qui in fine Theodoreti historiæ subjicitur, nec reperitur in fine chronologiæ Nicephori. Marco enim qui Ecclesiam Alexandrinam fundavit, ordine successerunt Anianus, Abilius, Cerdo, Primus, Justus, Eumenes, Marcus, Celation, Agrippa, Julianus, Demetrius, qui sedit annis 43. ad A. D. 234. Pontiani. 2. Demetrio substitutus Heraclas obiit anno Domini 248 Fabiani, qui Antero successit anno X. Euseb. chron. & Niceph. Præterea Eusebius, cujus meminit, fuit signifer Arrianæ factionis, ut nominatur ab Hieronymo, in supplemento chronici Eusebii, quem in concilio Antiocheno, in locum depositi Athanasii Episcopum Alexandrinum Ariani constituerant: sed cum intelligeret, se minus Alexandrinis acceptum fore, in Emisenum Episcopatum translatus est. In Epistolâ verò Pseudo-Anteri præposterè fingitur ab Emisâ translatus ad Alexandriam. Felicis autem translatio Ephesum nullũ habet assertionis fundum. Denique clausula illa; *auctoritate hujus sanctæ sedis*, & in fine; *non tamen sine sacrosanctæ sedis Romanæ auctoritate* additamentum est, nec apparet in dictâ Epistolâ Hadriani apud Burchardum *lib. 1. c. 77.* Ivonem parte *5. decreti. c. 135.* & Nicephorum, quod Critici Gregoriani quoque notant ibi. Supposititiæ itidem sunt Calixti II. & Pelagii II. Epistolæ, quæ referuntur in eâdem causâ, & quæstione. Vide Socratem *lib. 2. hist. Eccl. c. 6.* Nicephorum *lib. 9. c. 5.* Quod nec Baronius audet negare ad *A. D. 381. §. 1.* Adisis Blondellum *in Pseudo-Isidoro p. m. 623.*

Epistola Anteri.

CAP

CAP. IX.

Ad c. 1. & 2. X. de translat. Episc.

PRobatâ justis ex causis translatione, causæ illæ debebant cognosci in pleno concilio Provinciæ, Metropolitano præsente & totius provinciæ Episcopis: Sed progressu temporis Patriarchæ sibi hoc jus vindicarunt, adeoque Romanus Papa, in suo patriarchatu. Sed tandem post varias & longas mutationes translationes per universum orbem sibi arrogavit. Hinc Innocentius noster intrepidè affirmat, uti omnes majores causas, ita & hanc ex generali privilegio, quod B. Petro & per eum Ecclesiæ R. dominus noster indulserit, ad sedem R. pertinere. Sed hujus privilegii exemplar in formâ authenticâ nondum vidit Orbis: Quin imò ex sanctione conciliorum, imprimis ad compescendum ambitum Arrianorum translationes fuisse certis limitibus constrictas, superiori capite ostendimus. Interim vi hujus privilegii Innocentius translationem Apamensis electi rescindit hoc nostro capitulo quod desumtum est ex III. collectione, quam primam Innocentius III. publicâ & legislatoriâ auctoritate promulgavit. Reperitur integra in *libro 1. Registri epist. 38.* & jungi possunt Gesta Innocentii *p. 30.* Species talis est: Laurentius Antiochenus Patriarcha L. Apameensem Electum, nondum consecratum ad Tripolitanam Ecclesiam transtulit, secutus exemplum prædecessoris, qui propriâ auctoritate Mamistanensem Archiepiscopum in Tharsensem Episcopatum transtulerat. Uterque horum Archiepiscopatuum in provinciâ Ciliciâ situs est, de quo Guillel. Tyrius lib. 3. c. 21. & 23. Quod factum Pontifex non solum rescindit, sed & patriarcham Antiochenum pœnæ causâ ab Episcoporum confirmatione suspendit. Desumtum est hoc capitulum ex compilatione III. Reperitur decretalis integra *libro 1.* registri *epist. 48.* Et in fine pro Nasiensi, legi debet, Valanensem, qui est unus ex suffraganeis Apamiensis Metropolitæ. Ut autem plenius intelligatur status Ecclesiæ Antiochenæ illius temporis ita habeto: Orientis pars maxima à christiano exercitu Godofredo Bullionensi duce Lotharingiæ Principe erepta erat Saracenis, & Turcis; qui tum toti Asiæ à Ponto ad mare mediterraneum

Species facti.

Emendatur textus.

Eccles. Antiochenæ status.

usque ad Hellespontum imperaverant. Omnes provincias, quas recuperaverant Christiani, in quatuor principatus diviserant, in principatum Antiochiæ, comitatus duos Edessanum & Tripolitanum, tres principatus in spiritualibus Antiocheno Patriarchæ subjiciebantur, & postremo in regnum Hierosolymitanum. Vide Jacobum de Vitriaco *Hist. Hierof. c. 30.* Gvillil. Tyr. *lib. 14. c. 12, 13, 14.* Patriarcha quidem Antiochenus defendebat translationem cum jure communi canonico, quo jure hactenus usi fuerant Patriarchæ orientis tum exemplo Prædecessoris sui. Deinde moverat Patriarcham & hoc, quod ante consecrationem translatio facta fuisset, nusquam verò expressum & constitutum ajebat de Electo confirmato, quod de Episcopo, & in canonibus Ecclesia dicitur viduata ante consecrationem. Ergo nullum erat vinculum matrimonii spiritualis, quod translationem impedisset. Ratio autē decidendi Pontificis erat, quod translatio fuit facta de majori ad minorem Ecclesiam: Archiepiscopus enim Apamiensis fuit translatus ad Episcopatum Tripolitanū & novo mutationis genere diminutus potius quàm auctus contra quàm cavetur *c. 1. de cler. non resid.* In his rationibus colorandis, & argumentis Archiepiscopi Antiocheni refutandis occupatur *cap. 2. h. t.* In quo agitur de translatione Electi & confirmati, nondum tamen consecrati vacante Andegavensi Ecclesiā Wilhelmus de Chimeleio ex Abrincensi electo ac confirmato postulatus est in Andegavensem Episcopum. Est autem Episcopatus Abrincensis sub Metropolitano Rothomagensi. Postulatum Turonensis Archiepiscopus sine auctoritate sedis apostolicæ in Andegavensem Episcopatum transtulit & consecravit, & Rothomagensis Archiepiscopus eundem à vinculo, quo tenebatur illigatus Abrincensi Ecclesiæ absolvit. Id gravatè ferens Pontifex utrumque Episcopum à consecratione & confirmatione Episcoporum: Episcopum vero ab executione officii suspendit. Uterque Metropolitanus peccaverat, Rothomagensis, quia Electum ac confirmatum à vinculo, ut dixi, Ecclesiæ Abricensis absolverat, Turonensis, quia in Andegavensem Ecclesiam transtulerat & consecraverat.

Cap. 2.

Species facti.

CAP.

Cap. X.

Ad c. 3. & 4. eod. tit.

AGitur in his duobus capitulis de Episcopo Hildesiensi, qui relictâ Ecclesiâ suâ Lubecensi Hildesemensem occupavit, eaque non contentus ad Herbipolensem transierat, postulantibus canonicis Herbipolensibus inconsulto non solum Moguntino Archiepiscopo, cui uterque Episcopus suberat sed & Rom. Pontifice. Erat is Conradus de Ravensburg Aulæ Imperialis sub Friderico primo ejusque filio, & postea Philippi Regis Romanorum Cancellarius. Eâ enim ætate Aulici sæpius è curiâ in Ecclesiam transferebantur, ut innuit Guntherus Poeta lib. 3. Curia sæpe suos cathedræ transmittit alumnos. Cæterum hoc negotium dedit argumentum non tantum hisce duabus decretalibus; sed etiam capitulo 5. de Major. & ob. & cap. Illud. de cler. excom. minist. Monitus itaque sæpius ab Innocentio non obtemperavit, verum se in utroque Episcopatu temporalibus & spiritualibus immiscuit. Idque confidentius peragere poterat, de imperio contendentibus tum Philippo Svevo & Ottone IV. cui ab Innocentio corona promissa fuit, Philippo anathemate percusso. Pontifex itaque Conradum utraque Ecclesiâ privat. Eumq; præterea mandat per Archiepiscopum Magdeburgensem excommunicari cap. Illud. de Cler. Excom. minist. Vide Abbat. Ursperg. ad annum 1125. Kranzium Metropoli lib. 7. c. 9. & 17. Trithemium chron. Hirsaug. ad anno 1201. Facto Pontificis prætexebantur canones qui habentur causâ septimâ, quæst 1. can. 31. & 32. quibus ii qui proprio motu ad aliam Ecclesiam transeunt, primo compelluntur ad priorem redire, deinde contumaciter perseverantes, utraque debent spoliari. Conradus verò se tuebatur dispensatione quam à Cælestino, Innocentii Antecessore obtinuerat per quam concessum ei fuerat transire ad majorem Ecclesiam. Cui exceptioni respondet Pontifex in c. 4. h. tit. Utrumque capitulum directum est ad Episcopum Bambergensem, Thimonem qui præfuit ab anno 1192. usque ad 1202. Et Petrum scholasticum Maguntinum. Desumtum est capitulum 3. ex libro primo Registri epist. 331 caput ultimum ex libro 2. Epist. 262 quibus jungi debent lib. 1. Epist. 568. lib. 2. Epist. 52. 262. & 272. Abbas Ur-

ſpergenſis de bellis Philippi & Ottonis & ad annum Chriſti 1125. Geſta Innocentii III. pag. 30. Kranzius in Metropoli lib. 7. c. 9. & 17. Trithemius chronico Hirſaugienſi ad annum 1201.

Cap. XI.

Ad rubricam, de auctoritate & uſu pallii.

PAllium ornamentum Archiepiſcopale, de figura ſuâ deſcribitur à criticis Gregorianis notis ad c. 1. h. t. lit. E. Uſus ejus atque origo ſatis antiqua, effectus verò, nempe ut Metropolitani poſt ordinationem ſuam nihil ſui muneris obire posſint, donec à ſede apoſtolicâ miſſum eis fuerit pallium, de corpore B. Petri ſumtum, jus novum aulæ Romanæ eſt. Fuit hoc pallium antiquitus genus Imperatorii indumenti, ab initio ſolis Græcis proprii ſed poſtea Imperatoribus quoq; Romanis uſitati. Apud Vopiscum jubet Valerianus dari Aureliano, inter alia, pallia proconſularia duo: Et in epiſtolâ Commodi ad Albinum: *Sanè ut tibi inſigne aliquod Imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem.* Ejusque uſum Imperatores Patriarchis conceſſerunt à quibus deinde & cum Metropolitis communicatum fuit. Erat hoc pallium indumentum totius corporis, ad talos usque promiſſum, ſed ſplendidiſſimum & pretioſum, non faſciæ, laneæ ut ex Pelagio & Gregorio primo, Pontificibus Romanis probat P. de Marcâ de concord. ſacerd. & Imp. lib 6. c. 6. Inprimis ex loco Johannis Diaconi in vitâ S. Gregorii. Affirmat is Gregorium in veteribus picturis videri indutum pallio ex byſſo candente contexto & nullis acubus perforato, quod in morem veſtis humeros ejus operiebat. Hoc ita eſſe, nempe pallium genus fuiſſe indumenti Imperatorii non auſint negare illi, qui donationem Conſtantini agnoſcunt. Permittit enim donationis hujus inſtrumentum Sylveſtro Pontifici omnium indumentorum Imperialium uſum his verbis: *Deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimulque Phrygium, nec non ſuperhumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare aſſolet collum, verum etiam & chlamidem purpuream, atque tunicam coccineam.* Quæ quidem donatio, utut commentitia ſit, quia tamen ejus monumentum ſat vetus eſt, & tempora Caroli Calvi antecedit, imo in mundo ſuit Hadriani primi & Caroli

roli magni ævo, originemq; pallii tribuit Imperatoribus, idque per ipsos octingentos annos fuit creditum, satis probata inde videtur origo ab Imperatoribus profecta. Marquardus Freherus, vir longè doctissimus, Hadriani Papæ Epistolam 35. adhuc ineditam, ait in Bibliothecis haberi, in quâ fit mentio donationis Constantinianæ. Vide Freheri comment. in donat. Constant. Inde elicit P. de Marca Constantinum dedisse & Lorum, sive fascias, quibus indumentum ejus ornabatur, & chlamydem, id est, pallium Imperiale, adeoque pallii vocabulum olim fuisse complexum & pallium ipsum regium integrum, & fascias sive lora, quibus id erat ornatum. Accedit, quod legitur apud Liberatum Diaconum in c. 21. breviarii, Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum à sede suâ dejectum Pallium Imperatori Justiniano reddidisse, nempe Justiniano & conjugi ejus Theodoræ. Unde sequitur ab his eum ante accepisse. Denique & hoc argumento id probat vir illustrissimus, quem aliquoties citavimus. Episcopus Arelatensis, inquit, novâ quadam & peculiari dignitatis prærogativâ auctus erat, beneficio Zosimi, summi Pontificis anno CCCC XVII. Eam deinde auxit & Symmachus anno 514. sedis Apostolicæ vicariatu per Gallias & Hispanias eidem Episcopo concesso. Auxanius ad hanc cathedram evectus anno 543. præter vicariatum Papæ Vigilii, pallio etiam insigniri cupiit, quod Pontifex distulit, donec ab Imperatore Justiniano probatum foret. Hujus autem dilationis hanc reddit rationem: Ut & vobis gratior præstitorum causa reddatur, dum quæ postulastis, cum consensu christianissimi Principis referuntur, & nos honorem fidei ejus servasse cum competenti reverentiâ judicemur. Id est, ut fidem servaret Imperatori cum reverentiâ debita. Et biennio post, cum Episcopo illi morem gessisset, secundum desiderium Childeberti Regis, eum hortatur, ut preces ad Deum fundat, pro Justiniano & Theodora, qui annitente Belisario consenserant, ut Auxanio Vicariatus ille tribueretur, atque pallium ad eum mitteretur. Auxanio defuncto successorem ejus Aurelianum eodem honore prosecutus est Vigilius, ut Regis Childeberti votis obsequeretur, & epistolâ ad Aurelianum scripta jussit, ut Belisario grates ageret, qui & laborem & sumtus itineris, quod Aureliani tabellarius

rius ad Justinianum instituerat, suâ curâ abstulerat, & consensum Principis obtinuerat pro hoc beneficio Anno 59[illegible]. Cum Regina Brunechildis optasset, ut Syagrius Episcopus Augustodunensis Pallio honestaretur, non refragatus est Pontifex, sed tamen non ante concessit, quàm consultus Imperator per Gregorii Diaconum in urbe Constantinopol. commorantem respondit sibi placere, ut ita fiat. Gregor. lib. 7. Epist. 5. Ex his concludi potest, non aliam excogitari rationem posse, quâ ostendatur necessitas consensus Imperatoris ut Syagrio Pallium absque vicariatu, Auxanio Aurelianoque cum vicariatu concederetur, quàm jus illud quod sibi Imperatores retinuerant in concessione horum indumentorum, quæ cum Imperialia essent, & summo Pontifici cæterisque Patriarchis concessa ab Imperatoribus, vulgari non potuerint absque eorum consensu. Et hæc de pristinâ pallii forma seu figura: sed hodiernum nihil aliud est, quam fascia lanea candida, in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo pendet fascia simili materiâ & specie, super pectore, & alia similis ex adverso inter humeros utraque crucem habens rubeam, præter eas cruces, quæ in ipso circulo exstant super humeros: Quod alligatur tribus acubus aureis, quas Spinulas vocant. Ita describunt Honorius Augustodunensis, Hugo à S. Victore, & Innocentius III. libro 1. de myster. Missæ.c.63. Ubi & hoc notandum, quod Baronius Phrygium pro pallio accipiat contra usum veterum. Vaticanus Interpres instrumenti hujus donationis exponit χάλυπτρον μίτραν. Et Glossæ Isidori, Phrygium, mitra. Est enim Phrygium capitis ornamentum superiore sui parte clausum, in parte verò inferiore circulum habens aureum in modum coronæ. Hanc mitram Bonifacius 8. altero circulo aureo auxit, & Urbanus V. tertio, eodem modo dispositis, quo hodie tiara Pontificis visitur. Sed & ipsa donationis verba se interpretantur, ibi: Phrygium candido nitore splendidum ejus sacratissimo vertici nostris manibus imposuimus. Denique accedit locus Sugerii in vitâ Ludovici Grossi, ubi ait, capiti Innocentii II. impositum fuisse phrygium, quod Sugerio est Imperiale ornamentum. Plura de hoc pallio dixi in controversiis meis illustribus superioris seculi.

Baronius notatur.

FINIS ECLOGAE IV.

Amœnitatum Juris Canonici menſtruarum DECEMBER,

ſeu

ECLOGA quinta

CAP. I.

Ad cap. 3. de uſ. & auct. Pal.

INſcriptio hujus decretalis integra exſtat in compilatione tertiâ: Et eſt talis: Innocentius III. C. tituli Sancti Laurentii in Lucinâ Presbyteri Cardinalis AP S d. Legato Confer cap. 3. & 4. de offic. Leg. Species facti hæc: Gvalterus Trojanus Epiſcopus & Regni Siciliæ Cancellarius poſtulatus eſt ad Panormitanam Eccleſiam, eoque translatus à Sancio Cardinali & Legato ſedis Apoſtolicæ in Siciliâ, inconſulto Pontifice. Nondum admiſsâ poſtulatione, dato que pallio Gvalterus Archiepiſcopi nomen ſumſerat. Quâ de causâ ſeverius interpellat Legatum ſuum Pontifex, daret operam, ne in confuſionem ſui, & ſedis apoſtolicæ opprobrium res iſta cedat. Interim Gvaltero ex ſingulari gratiâ conceſſit Pontifex, ut Panormitanæ Eccleſiæ procurationem gereret: Sed Gvalterus contumax poſtea utrâque Eccleſiâ & Panormitanâ & Trojanâ ſummotus, ut habetur in geſtis Innocentii. Gvalterus iſte reus poſtulatus quod Archiepiſcopum ſe geſſiſſet ante pallium acceptum, cum tamen per pallium & nomen & res Archiepiſcopalis dignitatis, & pontificalis officii plenitudo conferatur. At verò certum eſt, pallio hoc antiquitus nihil niſi ornamentum Metropolitanis quæſitum fuiſſe, effectum autem ejus, & cætera, quæ nunc uſurpantur, antiquitati prorſus ignota fuiſſe. Teſtatur etiam P. de Marcâ Galliarum Metropolitanos ſtatim poſt ordinationem ſuam functiones ſui muneris exercuiſſe juxta canones antiquos. Cur ergò Innocentius noſter eos prohibet quidquam pontificalis officii attingere, donec à ſede apoſto-

postolicâ missum ad eos fuerit pallium Romanum? Nimirum jam anno D CCC LXX. in synodo Constantinopolitanâ sub Hadriano II. statutum erat, ut Metropolitani confirmationem suam à Patriarchâ reciperent, sive per impositionem manuum, sive per concessionem pallii. Hoc intromisso nova formula excogitata est, quâ cogebant scripto polliceri subjectionem & obedientiam Apostolicæ sedi & per omnia præcepta ejus canonicè sequi, cujus formulæ auctor exstitit Bonifacius Moguntinus, quam formulam postea auxit Gregorius VII. in tantum, ut sponsio illa Bonifaciana in ipsum penitus jusjurandum fidelitatis, quale Vasallus domino præstat, conversum fuerit: Nempe;) *Non ero in consilio, neque in facto, ut vitam aut membra, aut papatum perdant, aut capti sint malâ captione.* Quæ jurandi formula in vim legis publicæ abiit, & decretalibus inserta est *cap. IV. Infra de jurejur.* Falsò enim hoc capitulum IV. Gregorio I. tribuitur, ut jamdudum monuit Carolus Molinæus *ad dictum cap.* & ad SCtum Franciæ *contra abus. Pap. pag. mihi 267.*

Cap. II.
Ad c. 4. & 5. h. t.

Pontifex R. semper utitur pallio, alii Episc. non item.

Statuit Innocentius III. ut Romanus Pontifex semper utatur pallio atque ubique, alii non nisi in Ecclesiis suis & certis diebus tantum *c. 4. h.* Quapropter Petro Archiepiscopo Compostellano per veniæ dispensationem indulget, ut possit in Ecclesia alienâ pallio uti, dummodo is ad quem Ecclesia pertineat, id permittat. *c. 5.* Verum enim verò, quod solus Papa Romanus semper utatur pallio, ei contradicere videtur concilium Matisconense primum, in quo sancitum, ut nullus Archiepiscopus præsumat missam celebrare absque pallio. Sed forsan diversa sunt pallium Romanum & pallium Archiepiscoporum proprium. Hoc enim ex Gregorio constat *lib. 4. Epist. 14.* quod Romanó pallio uti non licuit præterquam in festis solennibus, eundemque morem Metropolitanis etiam in oriente fuisse docet responsum Demetrii Chomateni, qui eo uti licitum non esse ait, nisi in festis Paschatis, Pentecostes & Natalis Domini. Itaque aliud fuerit oportet Archiepiscoporum

Archiepiscoporum Galliæ pallium.

Galliæ

Galliæ pallium, aliud Romanum, ut censet P. de Marca *lib. 6. c. 7.* Cum verò à Zacharia Pontifice Bonifacius in Galliam Germaniamque mitteretur anno 742. synodumque celebraret, decretum in eâ fuit, ut omnes deinceps viverent in unitate & subjectione Ecclesiæ Romanæ & vicarii B. Petri, & ut Metropolitani à sede Romanâ pallium quærerent, & per omnia Canonicè obsequerentur præceptis S. Petri. Ergo hactenus non alio præterquam Gallicano pallio ornati fuerant.

CAP. III.

Ad cap. ult. de usu & auct. pall.

EPigraphe hujus capituli falsa est, & rescribendum: Archiepiscopo Lugdunensi, ut est in MSto, quo Innocentius Cironius usus est. Fuit hic Archiepiscopus Raynaldus, numero octogesimus. Initialia verba sunt. *Tua nos.* Non; *Quia nos,* ut Gregoriana editio. Quæstio Raynaldi erat, an licitum sit pro defunctis cum pallio celebrare. Quod negat. Fortè quia pallium festivitatibus, non funestis celebrationibus conveniebat. Quâ de causa etiam purpureus color in jejuniis & memoriis defunctorum usurpabatur, teste Demetrio Chomateno in responso ad Cabasilam: *τὰ πόλλας εἶσι τὰ πορφυρᾶ τοιαῦτα ἐσθήματα σήμαιτερον ἐν μόναις γὰρ νηστήμοις ἡμέραις καὶ ἐν μνημοσύναις ἀπελθόντων.* De Sandaliis, Cassianus lib. 1. c. 10. Sandalia Monachorum Ægyptiorum caligas appellat. Et Divus Hieronymus sandalia caligas vertit. Vetus Interpres Juvenalis Græcorum crepidas Grajas caligulas vocat. Ita enim interpretatur, quæ Juvenalis trechedipna vocavit, ut trechedipna essent, quæ Græcis *τρεχάδες*. Vide tamen Octav. Ferrar. de re vestiaria *parte 2. lib. 2. c. XI.* *τρεχάδας* exponit Hesychius *σανδάλια ἀπὸ τοῦ αἰγείου δέρματος.* Auctori veteris glossarii *τρεχάδες* sunt galliculæ. Idem galliculas *σανδάλια* reddit alio loco. Græci distingunt inter *ὑπόδημα* & *σανδάλιον.* *ὑπόδημα κοῖλον,* calceamentum, quo totus pes amicitur: Sandalia seu soleæ plantas pedū duntaxat tegebant. Ita Pollux & Hesychius *ὑποδήματα ἀπὸ τῶν σανδαλίων* distinguunt: *ὑποδήμασι* Salvator Apostolos interdixit, non item sandaliis quæ Petrus gestavit *Act. Ap. c. 12.* Quamvis Al- *Sandalia.*

 bertus

bertus Rubenius de re vestiaria *lib. 2. c. 1.* velit crepidas seu sandalia digitos pedum haud quidem conclusisse & tamen crus medium texisse. Cui assentior. Hæc sandalia Christianis ex candido linteo texti ut est in actis donationis Constantini & apud Balsamonem. Cavebant quippe ne fierent ex morticinis aut pellibus animalium. Servius *in 4. Æneid.*

Cap. IV.

Ad cap. I. II. & III. de Renunciat.

Cap. 1. VAriè legitur inscriptio, ut notant & Gregoriani: Lugdunensi, Batonensi, Londonensi. Vera lectio exhibetur in antiqua collectione prima: Lundensi Archiepiscopo. Lunda, Lundona, metropolis Daniæ, qua de supra ad *c. 2. X. de consuet.* Errat itaque Contius putans Lundonium pro Londino appellasse Barbaros jam inde à tempore B. Gregorii, urbem nobilem in Britannia insula. Rescribit Alexander III. Eskillo Metropolitano, quem Legatum per Daniam & Sveciam constituerat, petenti, ut sibi emerito missio daretur. Quod etsi hac decretali non impetrabat, tandem tamen victus iteratis precibus Alexander III. indulserat, ut ex integra decretali & Saxone Grammatico *lib. 14. sub finem* videre est. Successit in ejus locum Absolon Roschildensis Episcopus, licet invitus; Recusanti enim pallium ingestum fuisse per Galandum Legatum à Pontifice in eam rem missum, ait Saxo. Eskillus autem monachi habitum assumsit in Cistercienſi monasterio, ubi mortuus est. Vide epistolas Petri Cellensis *lib. 1. Epist. 23. & lib. 7. Ep. 17. & lib. 8. Ep. 1.*

Cap. 2. In cap. 2. quod tertium est primæ compilationis, inscribitur Abbati Dalonensi. Raymundus, Dolensi, Contius Dulonensi. Canonici S. I. ut Raymundus habet & Contius, intelliguntur S. Juliani, & ita legi in Barcinonensi & veteri Tarraconensi testatur Ant. Augustinus. In compilatione prima habetur: S. Luviani. Ubi capitulum hoc ita pergit: *Quia tamen altera pars sufficienter instructa non venerat, negocium non potuit terminari.* Ideoque *causam ipsam vestro examini committentes discretioni vestræ per A. S. M. qua partes ante vestram præsentiam convocetis, & rei veritate plenius*

nius inquisitâ si præfatum P. inveneritis de consensu majoris & sanioris p. c. f. de spirituali beneficio a. a. i. e. f. b. i. ap. re. pacificè possidere &c.

In cap. 3. Inscriptio itidem variat. Contius in margine scribit: Versellensi mendosè, *Vetalen.* legit vetus Tarracon. *Verulen.* Barcinonensis. *Verulano*, vetus Gregorianus, Contianus & placet A. Augustino. Veruli & Verulum urbs Episcopalis provinciæ Romanæ, Verulo. Abbas Sancti N. est S. Nicolai de Ceperano. Est autem Ceparanum oppidum non longe à Verulis. Monasterium S. Salvatoris, add: ex compilatione primâ, de Telesiâ τηλεσία, Ptolemæo, colonia Romana Frontino. Fuit urbs in Samnio prope Allifas secundum Plinium & Ptolemæum. Ἀλλίφιαι Straboni. Alliphium Livio. Alphi Mario Nigro, inter Venafrum & Beneventum. Porro in primâ compilatione sic habetur. Nunc autem mutato animo per te & per amicos tuos I. u. i. eadem Ecclesiâ restituatur. V. q. i. d. e. a. e. f. d. e. q. illi. e. q. f. c. ad voluntatem & p. f. r. Fraternitatem tuam monemus atque m. q. f. r. i. f. h. p. A. & f. e. a. r. præfati P. n. r. i. c. n. à Ceparano (vocem populo, in omnibus MStis deesse, & marginalem glossam in textum irrepsisse notant Emendatores Gregoriani) c. p. h. t. e. & monere p. si tanti tibi fuerit ut i. n. t. n. d. E. sed quasi de novo deberet intrare, recipiant. *Cap. 3.* *Veruli, verulum.* *Ceparanũ.*

CAP. V.

Ad c. 8. 9. 11. h. t.

Nidrosiensi Archiepiscopo rescribit Innocentius III. Nidrosium, vel Nidrosia, sedes Archiepiscopalis Norvagiæ, Truntheim, auctoritate Eugenii III. anno 1148. erecta. *Cap. 8. Nidrosia, Truntheim.*

Quod attinet cap. 9. talis inibi est species. Ragusiensis Archiepiscopus ex justâ causâ renunciavit Archiepiscopatui, de consensu summi Pontificis, quia ibi non poterat securè morari & si accederet ad illam, mortis periculum metuebat. Secessit itaque in Angliam. Ragusia, olim Epidaurus in Dalmatiâ, respublica nobilis ex opposito Italiæ, Archiepiscopus, de quo loquitur hic Innocentius, erat Bernhardus, quem coronatio in Johannis Regis & collo- *Cap. 9.* *Ragusia.*

colloquio ejusdem cum Willelmo Rege Scotorum interfuisse memorat Rogerius Hovedenus in Johanne. Huic Bernardo beneficium conferebatur liberalitate Regiâ concessu Archiepiscopi Eboracensis in Episcopatu Carleoli & Ecclesia de Malebron. Carleolum est sedes Episcopalis sub metropoli Eboracensi. Vide Hovedenum in Henrico I. ad annum M C XXXIV.

Carleolũ.

Cap. 11.

In cap. 11. his casus habetur: Anno 1208. exstincto Ægidio Ravennatensi Archiepiscopo in ejus locum postulatus est Hubaldus, Episcopus Faventinus. Vide Hieronymum Rubeum *lib. 6. hist. Ravenn.* Præpositus & Canonici ejusdem Ecclesiæ Johanni cuidam è suis Canonico potestatem dederant per compromissum eligendi. Hic Johannem S. Fridiani Lucanensis Canonicum regularem, olim Episcopum Sassinatem in Faventinum Episcopum postulavit. Præpositus cum capitulo, impetrato consensu Prioris S. Fridiani postulationem petunt à Pontifice probari. Quærebatur an Episcopus qui renunciavit Episcopatui, ut monasterium pœnitentiæ causâ ingrederetur, iterum possit assumi & eligi in Episcopum. Innocentius distinctè respondet, ut in textu habetur. Sed erravit credendo *can. hoc nequaquam 45. caus. 7. q. 1.* desumtum fuisse ex Constantinopolitanâ generali Synodo, quæ inter quatuor primas ordine secunda est: Exstat enim in Synodo VIII. in quâ corruptis Legatis Johannis VIII. Papæ Photius, potestate Imperatoris fretus Ignatium Patriarchatu invitum in monasterium, quasi pœnitentiæ agendæ causa, relegatum se abdicare compulerat, omni spe restitutionis ademtâ. Hic canon à Græcis retentus irrepsit in collectiones Jvonis & Gratiani. Quibus fidentes Pontifices, Gratiano contenti, ad fontes recurrere supersederunt. Vide A. August. *lib. 2. Dialog. de Emend. Gratiani c. 6. n. 3. & 4.*

Cap. VI.

Ad cap. 13. h. t.

HOnorius III. rescribit Majoris Ecclesiæ Decano & Magistro C. Canonico S. Dionysii Leodicensi. Ecclesia major in civitate Leodicensi dicitur S. Johannis Evangelistæ. Quæ verba, S. Johan. expres-

expresſè appoſita ſunt in compilatione V. Altera eſt S. Dionyſii Martyris, quas ambas Notgerus Epiſcopus 45. conſtruxit, uti refert Anſelmus in geſtis Epiſcoporum Leodienſium c. 35. Caſus hic eſt: Johannes *pauper* ut eſt in compilat. V. Subdiaconus impetravit literas ab Innocentio III. prædeceſſore Honorii ad Abbatem de Emenco, *ut habet Raymundus Emtuto, ut alii*, Emenrode *ut in compilatione V.* quæ lectio vera eſt. Eſt Abbatia de Hemmenrode in Trevirenſi diœceſi cujus fundationem deſcribit Cæſarius *lib. 1. c. 1.* Nec non ad Cantores Trevirenſes majoris Eccleſiæ ac S. Pauli. Major Eccleſia eſt B. Petri quam Agritius primus Archiepiſcopus Trevirenſis, miſſus à Sylveſtro anno 330. ex palatio Helenæ in Eccleſiam convertit. Cæſarius *lib. 7. c. 40.* Altera eſt Eccleſia non S. Pauli, ſed Paulini quam Felix II. præſul Trevirenſis in honorem B. Paulini Præſulis, itidem Trevirenſis & martyris à B. Martino conſecrati inauguravit. Impetravit, *inquam*, Johannes pauper Subdiaconus literas, ut ei præbendam vacantem Eccleſiâ S. Florentini in Confluentiâ aſſignarent. Imò *S. Florentii Martyris*, unius ex ducibus legionis Thebæorum interemti cum Caſſio Comite & aliis Bonnæ diœceſeos Colonienſis. Confluentia, urbs notiſſima, diœceſeos Colonienſis inter Moguntiam & Coloniam, quâ ſe Moſella Rheno miſcet. Hanc præbendam Jacobus, Decanus ipſius Eccleſiæ in ejus manibus per ſuas literas reſignavit ſublato appellationis obſtaculo. Sed ſeſe oppoſuerunt huic mandato quidam Canonici Eccleſiæ hujus, quod Johannes Subdiaconus renunciaſſe arguebatur juri ſuo. Negans verò id Johannes teſtibusque convictus appellavit. Pontifex cauſam cognoſcendam mandat Petro de Collemedio, *qui fuit poſtea Archiepiſcopus Rothomagenſis anno 1234. Legatus Innocentii IV. ad Fridericum II. Imperatorem & adverſus Albigenſes, & tandem ab eodem Cardinalis factus in concilio Lugdunenſi anno 1245.* Hic Auditor Papæ habito conſilio cum Cardinale presbytero, tituli S. Sabinæ, *Thomâ de Capuâ Campano, ab Innocentio III. creato anno 1212. & ob merita in Patriarcham Hieroſolymitanum electo*, ſententiam priorem irritam pronunciavit.

CAP.

Cap. VII.

Ad cap. 14 & 15. eod. tit.

Cap. 14. PErperam hoc capitulum tribuitur Honorio, cum sit Gregorii IX ut docet Fr. Florens, præfatione p. 26. Rescribitur Archiepiscopo Trevirensi Theodorico IV. Comiti de Wida, qui sedit ab anno 1212. usque ad annum 1242. Abbas S. Apri Tullensis diœcesis, ordinis S Benedicti in honorem S. Apri, Tullensis, Episcopi, vulgo Saint Evre. Quemadmodum verò capitulum hoc tribuitur Honorio, quod Innocentii est, ita caput ultimum in editionibus tribuitur Gregorio IX. quod est Honorii in omnibus Mstis. Rescriptum est ad Agathensem & Nicensem Episcopos; Ille erat vel Seditius, vel Berengarius. Niciensis, ita enim rectius. *Nice, monasteriũ.* Nice, Monasterium est S. Willelmi fundatum anno 804. in diœcesi Lutevensi, Lodeve, sub Archiepiscopo Narbonensi. Quem Episcopatum instituit Johannes XXII. in monasterio Canonicorum regularium S. Augustini. Monasterium autem S. Willelmi, de quo cœperamus, est ordinis S Benedicti, à Willelmo II. Comite Tolosano fundatum, qui & ibidem sepultus. Vocatur aliàs Monasterium Gellonense, à Valle Gellonensi.

Cap. VIII.

Ad cap. 2. 3. & 5. de supplendâ neglig. prælatorum.

Cap. 2. PEr errorem aut negligentiam hoc capitulum transscribitur Clementi III. quod debetur Innocentio, ut patet ex Registro ipsius *lib. 2. Epist. 5.* ubi iisdem verbis inscriptum reperitur Episcopo S. Andreæ nimirum in Scotiâ. Episcopus Sanctandreanus à Sixto IV. Anno 1471. metropoliticâ dignitate mactatus est, regni Scotiæ Primas. *Archiepiscopat. Sanct. Andreanus Scotiâ.*

In cap. 3. agitur de Archidiaconatu Richemundiæ, quæ est dignitas post Decanatum primaria Ecclesiæ Eboracensis in Angliâ. *Cap. 3.* Vacantem hunc Archidiaconatum Archiepiscopus Eboracensis contulit Honorio Clerico suo, & mandavit Capitulo, ut ei Stallum præberent. Decanus cui nomen erat Simoni Apulo, cum

non

non admisit, quod in Archiepiscopi literis non fieret mentio de Decano: sed contulit Archidiaconatum Rogerio de S. Emundo. Vide Rogerium Hovedenum in Johanne.

In cap. 5. Vacabat Cantoria Ecclesiæ Salmaticensis, cujus electio spectabat ad Episcopum & capitulum. Elapso semestri Decanus elegit P. cantorem. At Archiepiscopus Compostellanus H. in cantorem elegit. Re ad sedem apostolicam perlatâ, Pontifex electionem à Decano factam irritam pronunciat, quippe post sex menses factam, eligendi jure ad superiorem jam devoluto. *Cap. 5.*

Cap. IX.

Ad c. 1. 2. De tempor. ordin.

Alexander III. utrum ad Bathoniensem aliquem an Londonensem, an quem alium Episcopum scribat, varietas lectionum non finit definire. Suspicor autem fuisse Robertum Bathoniensem Episcopum horum temporum divinis pariter atque humanis literis eruditum, ut prædicat eum Polyd. Virgil. *lib. 13. p. m. 313.* Bathonia, Bathe urbs Episcopalis, sub Archiepiscopo Cantuariensi. Dicitur autem Subdiaconos non posse diebus dominicis ordinari nisi à Pontifice Romano Cujus ratio est, quod subdiaconi, & alii inferiores sine solennitate privatim etiam nec publicè, & quolibet tempore ordinari possunt & debent *can. 6 dist. 75.* Contra verò ordinatio Episcoporum die dominicâ, horâ III. cum jejuniis *can. 1. dist. 75.* sicut etiam ordinationes Presbyterorum & diaconorum, *c. 4. & 5. dist. ead.* fieri debent. Capitulum 2. præscribit sibi itidem Alexandrum III. ad Episcopum Herfordensem Angliæ. Herefordia in confinio Wallensium sub Archiepiscopo Cantuariensi urbs Episcopalis. Hic Alexander improbat consvetudinem quarundam Scotiæ & Walliæ Ecclesiarum, quæ extra jejunia quatuor temporum clericos ad sacros ordines promoveant. Vetus enim Ecclesiæ institutio est, ne extra jejunia quatuor temporum fiat ad sacros ordines promotio. *can. 13. Apost.* Unde simul constat temporibus ordinationum solita fieri fuisse jejunia. Trahunt quidem huc Zephyrini Pontificis Epistolam secundam ad Episcopos Ægypti, cujus ἀποσπασμάτιον exstat apud Gratianum *Cap. 1.*

distinct. 75. can. 3. ubi mentio fit temporis congrui, quo quatuor hæc tempora innui volunt: Sed hæc epistola subdititia est. Hypothesis capituli hæc est: Cum Græci ordinarent, non observatis quatuor temporum intervallis, quibus Latina Ecclesia ordinationes faciebat, quæsitum fuit à Johanne Episcopo Citri, an Sacerdotum Latinorum ordinatio à Græcis Episcopis facta extra quatuor tempora valeret? Cardo rei in eo vertitur, primo, an Latini Græcos, Græci Latinos suis ritibus rectè ordinent: Deinde an forma ordinandi utrorumque sit in se proba? Ad primum respondet Cælestinus *in cap. 9.* & Innocentius *cap. 11. hic*, Ubi mos inveteratus fuerit, tolerandum esse, siquidem de mandato & licentiâ sui Præsulis Latinus à Græco Pontifice secundum morem Græcorum fuerit ordinatus. Addit tamen Innocentius in dictâ compilatione veteri, se velle suo tempore de consilio fratrum, quod honestum visum fuerit, ordinare. Hoccine fecit? Fecit in concilio Generali & refertur *in cap. Quod in plerusque. X. de offic. Ordin.* quo non amplius concessa est mixtura Græcorum & Latinorum, sed ut Latini Latinos ordinent. Idem hoc & rescribit cuidam Latino *cap. 1.* in eâdem compil. III. Sed quid si in eâdem diœcesi Latini Præsulis mixtim degant & Græci & Latini? Debet sibi Episcopus ille Latinus constituere Vicarium Episcopum Græcum, qui Græcis ritu patrio ordines conferat. Quod jus censetur singulare ut unus Episcopus alterius sit vicarius. Unde quærit Glossa, à quo debeat consecrari talis Episcopus Vicarius: Et respondet, à tribus Episcopis Vicariis suæ gentis. Id declarat Innocentius Cironius historiâ Cypri, in quâ juxta constitutiones Alexandri tertii electus Episcopus Græcorum ab Episcopo loci confirmatus à tribus deinde Episcopis consecrabatur, assumto nomine alterius loci, ut videlicet Episcopus Græcus Nicosiæ vocaretur Episcopus Soliæ, Episcopus Paphi diceretur Episcopus Arzes, Episcopus Nemosiæ, Amatensis Famagustæ, Episcopus Carpacensis. Et ita duo reperiuntur Episcopi in unâ eâdemque diœcesi.

Quod attinet jejunia quatuor temporum, hæc tam strictè observabantur, ut siquis Episcopus extra ea ordinare auderet, suspensione plecteretur. Clariensis Episcopus, cum in vigiliâ assumti onis

Dei-

Deiparæ quendam in Presbyterum ordinasset, ab Episcopali administratione suspensus est, *cap. 2. h. t. in compil. II.* De origine incertum est. Canon. 1. dist. 76. ait ante hac ter in anno servata fuisse. Putat quidem Baronius *ad annum. 226 n. 25.* legendum, *Quater.* At Bellarminus nihil mutandum censet cum olim non quaternum, sed ternum fuerit jejunium. Sed superflua est disputatio de germanâ lectione, cum tota hæc epistola sit hypobolimæa, ut Blondellus evicit. Putat autẽ hic â Leone primum disertè quatuor horum temporum jejunio consecratorum mentionem factam fuisse sermone octavo de jejunio decimi mensis, & sermone 9. de jejunio septimi mensis. Sed nec Blondellus eorum originem ad hunc Leonem refert, quasi hæc jejunia primus indixisset; uti neque Leonis verba hoc volunt. Sacri ergo ordines non omni tempore conferuntur, sed quatuor anni tempora his sunt constituta, quibus scilicet jejunatur, nempe primâ hebdomata quadragesimæ, quod est jejunium vernum, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, & in decimo hyemale, ut ait Leo Primus *can. 6. dist. 76.* & Urbanus II. *can. 4. dist. eâd.* & in concilio Claromontensi *can. 1.* De origine non convenit. Ab Apostolis sunt qui instituta putent. Vide Baron. *ad an. 57. n. 6.* Quod vix probari potest. Augustinus *Ep. 86.* ait, non inveniri certis diebus evidenter præceptum esse observanda jejunia. A Calixto Papâ instituta esse quatuor tempora ex *can. 1. dist. 76.* non probatur, ut quidam scribunt. Hoc enim dicit tantũ quod convenientius, hisce temporibus fiant jejunia. Et quamvis auctoritatem Quadragesima habeat ex jejunio Moysis & Eliæ, non ab ipso Salvatore in novo testamento: Negat tamen Chrysostomus *homil. 47. in Matthæum* jejunium domini esse imitandum utpote miraculosum. Nam & olim neque in tempore jejunii, neque in duratione ejus conveniebant. Irenæus apud Eusebium *lib. 5. c. 26.* οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν οἱ δὲ δύο οἱ δὲ πλείονας οἱ δὲ τεσσεράκοντα. Socrates *libro. 5. c. 22.* ait veterum observantiam & circa dierum numerum, & circa abstinentiam ciborum discrepasse; Alios enim ab animatis tantum abstinuisse, alios ex animalibus solis piscibus usos: Alios ovis & fructibus arborum abstinuisse. Alios sicco solo pane contentos, alios nec hunc sumsisse, & ita

Jejunii observatio varia.

& ita deinceps. Porrò & hoc notandum jejunia alio nomine superpositionem dictam fuisse *concil. Elibert. can. 26.* & ὑπερτίθεσθαι cibum differre prolongare. *Epiph. & Dionys. Epist. ad Basilid.* Cæterum de jejunio quatuor temporum, vide Concil. Mogunt. *l. cap. 34.* & Claremontanum *can. 1.* Saligunstadien se *c. 2.*

Superpositio.

Cap. X.

Ad cap. 9. de temp. ord.

Inscriptio emēdata.

Clericum alienum non licet ordinare. Est Cœlestini III. ad Hidronensem Archiepiscopum, nescio quem. Lege Hydrundinum ut est in *compilatione. II. c. 2.* Hydruntum, Otranto urbs Archiepiscopalis regni Neapolitani, olim Metropolis sub Patriarchâ CPolitano. In ipso textu fit mentio Episcopi Cathamarsensis vel, ut alia exemplaria, Cathamensis. Lego Cataniensem. Catana vel Catanica Urbs Episcopalis in Sicilia, sub Archiepiscopatu Montis Regalis, fuerat olim Metropolis sub Patriarchatu Constantinopolitano. Cœterum cum non liceat alienum clericum in suâ diœcesi ordinare tot. dist. 71. inde orta fuit gravis controversia, inter Græcos & Latinos, quod passim Græci Latinos hique illos ordinarent. Ideo Latini â Græcis & Græci â Latinis suo quisque ritu ordinandi non sunt, ne oriatur rituum confusio c. cum secundum 11. h. t. Quod si clericus Latinus de licentiâ ordinarii ordinetur â Græco antistite, quamdiu toleratur talis consuetudo, ordinati non impediuntur ab executione ordinum susceptorum. Sed ubi in eâdem diœcesi diversæ sunt nationes, puta Græci & Latini, Episcopus si Latinus sit, debet constituere sibi vicarium Episcopum Græcum, qui Græcis ritu patrio ordines conferat. c. quoniam, Infra de offic. ordin.

Hydruntum.

Catana.

Clericum alienum an liceat ordinare.

Cap. XI.

Ad cap. X. De monachis ad alios ordines transeuntibus,

Hæc decretalis integra exstat apud Innocentium *lib. 1. Epist. 51.* ad Abbatem & Conventum Cariloci. De quo monasterio supra *ad cap. Ex parte 33. de Rescript.* Agitur de monacho ad sacerdotii ordinem promoto, ordinis Cisterciensis, ad Monachos nigros se transferente, id est, ad Benedictinos. Nigri enim sunt Bene-

Monachi nigri.

Benedictini, Albi Cistercienses de vestitu appellati. *cap. Ex parte. de Decim.* Pet. Cluniacensis *apol. advers. Cisterciens. lib. 1. Epist. 28. Et vos sancti, vos singulares vos in universo orbe vere monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundum nominis interpretationem solos vos inter omnes constituistis, unde & habitum insoliti coloris praetenditis, & ad distinctionem cunctorum totius ferè mundi monachorum inter nigros vos candidos ostentatis.* Quaerebatur an post ordinem susceptum relicto habitu nigro ad Cistercienses redire posset? Ratio dubitandi, quod Cistericensis se ad nigros conferens, videretur apostatasse, quasi transisset ad laxiorem regulam. Erat enim Benedictinorum familia disciplinâ remissiore, ejusque Cistercienses propterea excisi. Quare Bernardus Clarevallensis, Robertum nepotem suum, cum à Cisterciensibus migrasset Cluniacum, quasi praevaricatorem revocare conatus est, *Epist. 1.* Monacho autem non licet transire ad laxioris disciplinae ordinem saltem sine veniâ summi Pontificis. *cap. licet. de Regular.* Ratio decidendi, quia non potest arctior videri Cisterciensium ordo cum & ipsi non aliam, quàm Benedicti regulam profiteantur, ideoque ordinibus ritè susceptis nil vetat, quominus in susceptis à Benedictinis ordinibus ministrare queat. *Quaestio capituli.*

CAP. XII. Ad cap. 14. de temp. ord.

HOnorius III. rescribit Episcopo Legionensi. Legio urbs Hispaniae Leon, à Leovigildo Gothorum Rege denominata, teste Isidoro *Chron. 2.* Agitur de quodam Episcopo, quem Raymundus Conventrensem ponit. In Manuscripto autem Ovetonensis vel Ovensis reperitur. Ovetum urbs Gallaeciae, olim Regia, fundata regnante Sylone, Rege Gallaeciae, in monte Oveto, quo Monachi Benedictini monasterium in honorem Vincentii statuerant. Unde Ecclesia Ovetensis orta. Principes Gallaeciae sedem transtulerant Legionem, unde Honorius ad Episcopum Legionensem scribit. Plus quam inscitū est, quod Raymundus Conventriensem intrusit suffraganeum Cantuariensis in Angliâ. Credidit fortè eundem casum esse qui Cap 2. & 3 Infra de [illegible]tate & qualitate habetur. Etenim & in hoc c. Episcopum Ovetensem acriter defricat Honorius, quod puerum tredecennem ordinaverat. *Legio, urbs Hispan.* *Ovetum.* *Species hujus capituli.*

Cap. XIII.

Ad cap. 15. de tempo. ord.

Auctor hujus decretalis.

Raymundus adscribit hanc decretalem Honorio perperam. Est enim Innocentii III. & exstat integra in *lib.13.Registri Epist. 194.* Et id est primum Raymundi παρόραμα. Alterum; Legitur; *Letonensi* & *Cal. ab.* vel *Cala. Abbati.* Nec melius *cap. 1. eod. tit. in 4. Compil.* de Leoniensi & Sabbariniensi Abbatibus. Ex regesto restituatur hoc modo: Laoniensi & Finabarensi Episcopis & Abbati de Magio Limiricensis diœcesis, Hi Episcopatus sunt in Hibernia, provinciâ Momonia: Lioniensis seu Leoniẽsis, Limiricensis seu Limitinẽsis, Finaborensis, Archiepiscopi Cassellensis suffraganei, ut & Imilicensis, de cujus electione hîc agitur. Pro quo Raymundus *Humiliensis.* At Midensis, Archiepiscopi Armachani, totius Hiberniæ Primatis, suffraganeus est. Denique non magis benè legitur pro Roffensi Trecensis. Summa capituli huc redit: Quod Imilensis electus, nedum subdiaconus unâ eâdemque die, ordinante Roffensi Archiepiscopo ad sacerdotii dignitatem elatus fuisset. Pauli enim Apostoli auctoritate manus nulli citò sunt imponendæ. Vide *can. 13. concil. Sardic.* Capitulum integrum ex Regesto adjicio: Dilectus filius W. Imilicensis Canonicus nostro dudum Apostolatui reseravit, quod Imilicensis Ecclesia suo viduata Pastore Concanonici sui de substituendi Pastoris electione tractantes ipsum unanimiter elegerunt. Qui cum esset citra sacros ordines constitutus, venerabilis frater noster Cassellensis Archiepiscopus Metropolitanus eorum Episcopo Roffensi mandavit, ut eum uno eodemq; die a.t.s.o. prom. quod cum ille non ausu proprio, sed ipsius Archiepiscopi mandatu perfecisset, demum idem Archiepiscopus requisitus consecrationis ei munus, hujusmodi ordinationis occasione prætensa impendere recusavit. Unde fuit nobis humiliter supplicatum, ut super hoc circa Præfatum W. dignaremur de benignitate sedis Apostolicæ dispensare. Maximè cum ad ordines suscipiendos non ex voluntatis propriæ diceretur festinantiâ properasse, sed tàm de magnâ necessitate, quam de utili providentiâ penè omnium ibi præsentiũ se permiserit taliter ordinari, pro eo, quod Ecclesiæ Imilicensi multiplex periculum inminebat, si ejusdem W. circa presbyteratus officium ordinatio differetur. Licet autem contra normam Eccle-

Emendatur Inscriptio.

Summa cepit,

Ecclesiasticam in facto ipso enormiter fuisset excessum, de misericordiâ tamen, quæ superexaltat judicio, venerabili fratri nostro Armachano Archiepiscopo & Episcopo Midensi & dilecto filio Archidiacono Armachano dedissere colimus in mandatis, ut inquisita super præmissis diligentius veritate, si rem invenirent taliter se habere, ac eundem W. aliàs idoneum & utilem Ecclesiæ Imilicensi dispensativè ipsi tribuerent licentiam consecrandi.

CAP. XIV. Ad tit. de ætate & qualit. cap. 2. & 7.

Cap. 2.

MEdicus artem infeliciter exercens an possit ad Sacros ordines promoveri. Hoc caput desiderari in Barcin. & alienâ manu additũ in veteri Tarracensi notat A. August. *ad compil. 1.* Quod factum fortasse propterea, quia repetitur *lib. 3. tit. 8. c. 1.* ejusdem compilat. 1. sed illic, ut & apud Gregorium adscribitur Gelasio ad Romanos.

Cap. 7.

In cap. 7. agitur de Physico seu Medico, qui ad sacros ordines adspirabat. Cum verò recordaretur arte sua se sæpius fuisse frustratum, consuluit Pontificem, an ad sacros ordines admitti posset. Nempe imperitia & multò magis negligentia medico utiq; imputatur. *l. illicitas §. sicuti ff. de offic. præsid. l. Idem juris ff. ad L. Aquil.* sed & religiosi & alii in sacris constituti prohibenter medicinam facere *c. fin. Ne cler. vel Monachi.* Eamque exercentes arbitrio superioris puniuntur *c. tua. X. de homicid.* Gloss. *in c. sententiam X. Ne clerici vel Monachi.* Ideo religiosus chirurgiam exercens, si ex eâ mors sequatur, fit irregularis etsi peritus est & diligens, & pietatis etiam caussa fecerit. *d. c. tua.* Meritò, Præsertim si per mortes hominum discitur. Hujus enim non nisi in Care periculum faciendum vetus parœmia suadet. Temeritas enim & imprudentia, solenne Medicorum vitium, abundè per se pollens est ad perniciem. Alienis enim periculis discunt, ipsi securi, & hoc ipso felices, quod prosperos eorum successus sol adspicit, adversos tegit tellus. Nempe una hæc ars tristissimis experimentis constat & ab omni ævo

Clerici prohibentur medicinam facere.

Medici impunè nocent.

πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν

ἠρῴωσεν P. Cunæus in Sardibus venalibus *p. 65.* Vide Plin. *lib. 29. Auson. lib. 1. Epigr. 74.* Foppium ab Aizema *differt. lib. 1. c. 4. c. 1.* Gilbert Cognat. *in adag. p. 493.*

CAP. XV. Ad cap. XI. de ætate & qualitate.

IN Rubricâ h. t. habetur de ordine præficiendorum; Quinam illi? In tertiâ compilatione ita concipitur rubrica: *De temporibus ordinatio-*

nationum, & qualitate ordinandorum, & ordine præficiendorum. In quartâ: *De qualitate ordinandorum, præficiendorum & ordinantium. vel ut in aliis Libris Ordinis.* Per præficiendos intelliguntur, qui non propriè ordinantur, sed eliguntur nec inter ordinum gradus censentur, ut sunt dignitates omnes, officia Ecclesiastica & Præfecturæ, licet aliquando manus impositionem citra σφραγῖδα ab Episcopo recipiant, v. g. Abbatiæ. Abbates enim propriè præfici dicuntur *in c. cum contingat, & seq. h. t.* quod desumtum est ex compil. IV. Hi dicuntur Græcis καθηγούμενοι & ἡγουμενεῖα præfectura monasteriorum, quam ex Episcoporum permissione capiunt Abbates ut habet Balsamo *ad can. 14. Synodi. VII*, nec possunt officium exercere, quin sint sacerdotes, ut idem scribit *ad can. 6. Syn Carthag.* Quin & confessiones audire debent & lectores ordinare & tonsuram conferre possunt. Archidiaconi, Archipresbyteri, Decani, Primicerii, & alii, qui suo munere funguntur non per ordinationem & manus impositionem, quâ character imprimitur, fiunt, sed per solam benedictionem, & ita dicuntur ordinari *in can nullus & seq. dist. 60.* ubi ordinatio & institutio indifferentur usurpantur. Ergo Abbas si presbyter est & benedictus, potest conferre tonsuram & alios minores ordines in proprio monasterio. *can. 14. Synodi VII.* Vide concil. Trident. Et per primam itaque tonsuram clericalem ordinem conferri traditur in fine hujus capituli. In album enim clericorum adscribitur & fit capax beneficii Ecclesiastici. *cap. Cum adeo. X de rescrip. c. ex literis, de transact.* Et monachi quidem radebantur ad cutem. Salvianus lib. 8. de provid. *Intra Carthaginis muros palliatum & pallidum & rescissis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus, quam infidelis sine convitio atque execratione vix poterat* Hanc rasuram Græci ἀπόκαρσιν & ἀποκουρὰν vocant ἐν χρῷ κεκαρμένους vocat Dionysius *lib. 2. d. cœlesti hierarchiâ cap. 6.* Paulinus *Epist. 7.* ad Severum: *Castâ informitate capillum ad cutem rasi* Balsamon vocat ἐπικουρίδα μοναχικήν. At tonsura clericalis, quâ σφραγῖδα ἐπισκοπικήν, *characterē episcopā* è Balsamo vocat, quâ, Clerici nomen imponebatur, & monachi eam suscipientes clericorum numero adscribebantur, ut idem Balsamo *ad can. 77. Concilii in Trullo.* Hic clericalis character dicebatur etiam Παπαλήθρα tonsura in modum Coronæ.

Prima tonsura.

FINIS ECLOGAE V.

Amœnitatum Juris Canonici menſtruarum menſis intercalaris,

ſeu

Ecloga VI. miſcella

Cap. I.

De Codice Eccleſiæ Univerſæ.



Nte concilium Conſtantinopolitanum videntur initiò paucæ diœceſes in certa conveniſſe decreta, quibus, prout res inciderit, in definiendis negociis uterentur. Satis enim conſtat in Ancyranâ Synodo, quæ congregabatur A. D. 314. Ancyræ, Metropoli Galatiæ, è tribus diœceſibus, Orientis, Aſianâ & Ponticâ Epiſcopos octodecim conveniſſe, atque XXV. canones expoſuiſſe, qui haut alios, quàm inter quos decreti fuerant, videntur obſtrinxiſſe. Ita Gangris, Metropoli Paphlagoniæ, A D. 325. ſedecim Epiſcopi Ponticæ diœceſeos coiverunt. Similiter in concilio Antiocheno A. D. 431 tantum provinciarum ad Patriarchatum Antiochenum pertinentium Epiſcopi convenerunt, ut patet ex Epiſtolâ Synodicâ Conc. Antioch. At verò poſt concilium Conſtantinopolitanum primum ſub Theodoſio M. Stephanus quidam Epheſinus Epiſcopus, ut præferebat olim vetus Bibliothecæ Palatinæ codex, quem vidit Juſtellus, alteram collectionem dedit, quæ Codicis univerſæ Eccleſiæ nomine à Juſtello edita, ante concilii Chalcedonenſis tempora exſtabat, ſub initium ſeculi quinti. Unde Patrum canones citabat ea Synodus & ſecundum illos de controverſiis judicabat. *Vide Baron. tom 3. Annal. anno 341. n. 34.* Et A. Auguſtinus *lib. 1. de emend. Gratian. Dial. XI.* Canones concilii Antiocheni, *inquit*, receptos eſſe conſtat, & in corpore Canonum poſitos, ante concilium Chalcedonenſe, ut in ejus concilii actione XI. appá-

Ante concilium CPolitanũ exſtitére diœceſium decreta.

Codex canonum Stephani Epheſini Epiſcopi.

apparet. Synodus etiam prima Bracarensis *c. 17.* meminit Codicis canonum cujusdam. Et Toletana IV. *can. 3.* sed & Nicolaus primus & Leo IV. PP. RR. apud Gratianum. *c. si Romanorum dist. 19. & can. de libellis dist. 20.* Confer Burchard. in enumeratione librorum, ex quibus sua constet collectio: Gratianum in inscriptione *Can. Hæc verò caus. 27. q. 1.* & Gregorium IX. in inscriptione *c. 11. de præb. & dignit.* Hic est ille Codex, quem auctoritate Ecclesiæ Universæ in concilio Chalcedonensi sexcentorum triginta Episcoporum consensu Justinianus Imp. Confirmat. *Nov. 131.* Canonibusque ejus vim legis quam hactenus non habuerant, tribuit. Neque enim personis Ecclesiasticis tum temporis ulla, nedum legislatoria potestas erat, quâ regulis suis *δύναμιν ἀναγκαστικὴν* conferre possent. Verba Imperatoris ita habent. *c. 1. sancimus vicem legum obtinere, τάξιν νόμιμον ἐπέχειν, sanctas Ecclesiasticas regulas, κανόνας, quæ à quatuor sanctis Ecclesiis expositæ sunt, aut firmatæ. ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας.* Ubi per *κανόνας ἐκτεθέντας* intelligit illos, qui quatuor œcumenicis conciliis expositi, id est, in formam Canonum redacti fuerant. Per *βεβαιωθέντας* autem canones priorum conciliorum, hoc est, Ancyrani, NeoCæsariensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, qui in hoc Codice Ecclesiæ universæ continebantur, ab ipsis quatuor universalibus conciliis confirmati. Hunc postlimino reduxit græcè, latinèque Christophorus Justellus Parisiis anno 1610. notisque luculentis, nec non eruditâ præfatione ornavit, & canonibus conciliorum Ephesini & Chalcedonensis locupletavit. Ergo non solum quatuor œcumenicorum canones, sed eorum quoque, quæ hæc præcesserunt conciliorum canones *ἐκτεθέντας* & à quatuor universalibus *βεβαιωθέντας* Justinianus confirmavit. Quod non animadverterunt Rittershusius & alii, qui tantum ista quatuor concilia à Justiniano probata autumant. Quod amplius demonstrari & ex canone primo Chalcedonensi potest. *τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν. Canones, quæ à sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque constituti sunt, observari æquum censuimus.* Huic autem Codici quædam sunt addita, quæ synodus sexta enumerat, *can. 2.* Nempe canones Apostolo-

Confirmatus à Justiniano, & vim legũ adeptus.

Exponere canones, quid sit.

ftolorum XXCV. Concili Sardicenfis Canones XXI. Concilia Africæ & Epifcoporum quorundam epiftolæ, quem auctum ita Codicem Synodus Nicæna III. confirmat. Alius ergo eft Codex, de quo hic loquimur, Ecclefiæ univerfalis; alius Ecclefiæ Orientalis, ex illo auctus, quem poft Synodum Trullanam editum, iterum Johannes Tilius Lutetiæ anno 1540. edidit, ex MSCto Codice Ecclefiæ Pictavienfis. Unde non erat, cur Cardinalis Perronius in refponfione ad Magnæ Brittanniæ Regem *lib. 1. c. 53.* editionem Juftelli in dubium vocaret.

Diverfi codices Ecclefiæ univerfalis alius, alius Ecclef. Orientalis.

CAP. II.

Ex collectione canonum juri canonico origo.

EX collectione canonum Jus Canonicum, quod Pontificium appellatur, originem duxit, quâ & Ecclefia Orientalis & Occidentalis diu fuit ufa. Cui Johannes Zonaras, & Theodorus Balfamo, verbis Conciliorum & Canonicarum epiftolarum appofitis interpretationes fuas addiderant. Errat vir quidam doctus, *inftitutionibus Juris Canonici*, qui è fententiâ Ifidori, originem Canonum à conciliis œcumenicis repetentis *c. canones. dift. 15.* recedit, opinans hos canones in Alemanniâ longè anteConftantinum M. fuiffe receptos, hac ratione, quod in Lege Alemannorum citantur canones: fed non attenderat vir eruditus, & de jure Canonicò benè meritus, Leges Alemannicas à Theodorico Rege Franciæ auctoritate donatas. Qui five Theodericus Clodovei F. fuerit, (quod magis probat Vir incomparabilis, Germaniæ noftræ decus æternum, Do. Hermannus Conringius, amicus nofter omni animi cultu profequendus, *tract. de orig. juris Germ. c. 4.* ad minimum is LXX. annis concilio Chalcedonenfi polterior fuit: Sive alter ex monacho factus Rex Franciæ anno 679. Lex Alemanniæ utique corpore canonum recentior erit ducentis, & quod excurrit, annis: Concilio autem Nicæno, trecentis quinquaginta. Cæterum obtulit Balfamo, anno Domini 1191. Johanni Xiphilino Patriarchæ Conftantinopolitano commentarium fuum juffu Imp. Emanuelis Commeni & Michaëlis Anchiali Patriarchæ confectum. Fuit is Balfamo Patriarcha Antiochenus. *Videfis Baronium. tom. 12. ad Ann. D. 1191.*

Joach. Stephani notatur.

sect. 49. Quem Nicetas Choniates *lib.* 2. imperii Isaaci Angeli magnæ Antiochiæ Episcopum, virum ea ætate JCtissimum appellat.

Cap. III.

De Joh. Scholastici collectione.

PErtinet huc & Johannis Scholastici συναγωγὴ κανόνων, collectio canonum, quâ canones non secundum ordinem temporum sed materiarum, in quinquaginta titulos contexuit. Erat is Antiochiæ Presbiter & Apocrisiarius, inde, pulso Eutychio, Patriarcha Constantinopolitanus, Justiniani Imper. tempore. Exstant ejus hodie tria exemplaria MSta, unum in Bibliothecâ Vaticanâ, Heidelbergâ ablatum, alterum in Bibliothecâ Petri Seguerii, Cancellariæ Franciæ. Tertium Christophori Justelli, ex Bibliothecâ Collegii Claremontani Parisiensis. A quâ collectione diversa est ejusdem Johannis epitome, seu Nomocanon, quo, omissis integris canonibus concordantes leges, Novellas in primis Justini. ni ad singulos titulos adjecit, quem secutus est postmodum Photius & alii. Huic perperam MSCtum Regium titulum fecisse Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου Κύῤῥου notat Justellus.

Nomocanon ejusdem Johannis.

Cap. IV.

In Occidenti receptus idem Codex, sed translatus Lat.

POrrò in Ecclesiâ occidentali idem antiquus Codex, cum ex veteri incerti auctoris, translatione, quæ adhuc in Bibliothecâ Vaticanâ asservatur, ut scribit Sirmondus in censurâ Anonymi, *de regionibus suburbicariis*; Tum ex Dionysii Exigui Abbatis, versione, hortatu Laurentii Ecclesiæ Romanæ Presbyteri adornata, & Stephano Episcopo Salonitano, ad quem exstat Epistola Dionysii apud Baronium, *anno* 527. *num.* 72. dedicatâ fuit usurpatus. Vide Cassiodorum *de div. lect. c.* 23. Adjunxit autem Codici Ecclesiæ universalis quinquaginta canones apostolicos, itemque Sardicensis & Africanorum conciliorum canones. Sed & Pontificum Romanorum decreta, à Siricio usque ad Hormisdam quas recenset Leo IV. apud Gratianum, *c. de libellis dist.* 20, & exstant in Codice cano-

canonum Moguntiæ edito. Vide Justell. *Præfat. Cod. Eccl. univ.* Hanc translationem Hadrianus I. Pontifex R. ad regimen Ecclesiarum occidentalium tradidit Carolo M. anno 773 ut docet epistola Hadriani, quam edidit Sirmondus *tom 2. conciliorum Galliæ*. Cujus epitome ab Henrico Canisio Ingolstadii *tom. VI. antiquæ lectionis*, deinde Coloniæ *tom. III. conciliorum* vulgata, quam Hadrianus Papa anno DCCLXXXI. Ingelrammo Metensium Episcopo miserat. Confer. Dn. Conring. *de orig. Jur. Germ. c. 14. p. 63. in f. edit. recentissima.*

CAP. V.

De collectionibus particularium Ecclesiarum.

Habuerunt & aliæ Ecclesiæ collectiones suas proprias, ex ejusdem Codicis vetere latinâ versione desumptas, ut Africana. Etenim Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, qui sub Justiniano post Consulatum Basilii, *anno 6. qui est Christi 547.* floruit, *teste Victore Tununensi*, breviarium suum canonum ex conciliis antiquo codice Ecclesiæ comprehensis composuit, adjectis tantum Sardicensi & Africanis quibusdam Synodis, & epistolâ Siricii Papæ ad Episcopos Africæ, quæ exstat *tom. I. Conciliorum.* Est hæc Ferrandi apud Latinos collectio antiquissima. *Breviariũ Ferrandi antiquissima collectio.* Post hanc circa finem seculi septimi Crisconii collectio prodiit, duabus partibus, quarum prior *breviarium Canonum* dicitur, sensu canonum in summam contracto. Posterior verò integros canones exhibet, & inscribitur in MStis Codicibus, *Concordia canonum*, itemque, *liber canonum.* Edidit hanc primus Petrus Pithæus ex MSto Ecclesiæ Tracensis, *Lutetiæ anno 1588* *Cresconii à Pithæo editus liber.* Ferrando suppar est Martinus Braccarensis, cujus collectio ex Codice Ecclesiæ orientalis, & nonnullis occidentalibus Synodis Hispanicis depromta, in duas partes distribuitur, quarum prior de personis, rebus, & ritibus Ecclesiasticis agit, posterior res laicorum complectitur. *Martinus Braccarensis.* Habuit tamen eadem Ecclesia propriam collectionem ex Africæ duntaxat conciliis compositam & in Synodo Chartaginensi sextâ approbatam, adisque insertam. Exstat apud Zonaram *pag. 384.* & Balsamonem *pag. 587.* *Codex Ecclesiæ Africanæ proprius.* Habuit & Ecclesia Gallicana præter corpus canonum concilio *Ecclesia*

O 3 Chal-

Gallicanæ corpg can. ut & Hisp. & Britan. Chalcedonensi receptam collectionem propriam canonum ex Synodis Gallicanis compositam. Vide Justellum *in præfatione Cod. Eccles. univers.* Itemque Ecclesia Hispanica & Britannica. Et hactenus Jus canonum vetus obtinuit, quo usa fuit Ecclesia primis septem seculis, cum in conciliis, tum in judiciis Ecclesiasticis.

Jus novum Canon. Abhinc novum Jus veteri successit, publicatâ novâ Syllogâ Isidori cujusdam *circa annum. 836.* qui ad veterem Codicem, canones Apostolorum adjecit cum canonibus concilii Sardicensis diversorumque aliorum Africæ, Galliæ & Hispaniæ conciliorum canonibus, additis quibusdam, sed commentitiis, Romanorum Pontificum à Clemente usque ad Gregorium primum Epistolis. *Collectio Isidori.* Isidori, inquam, nescio an Hispalensis Episcopi, quod jam olim creditum Hincmaro Rhemensi *Epist. 7. c. 22.* Ivoni, decreti *part. 4. c. 107.* Trithemio *in Scriptoribus.* Vincentio *historiarum lib. 23. c. 31. & lib. 25. c. 84.* Antonio *part. 3. hist. tit. 1. c. 6.* Antonio Possevino *appar. sacro tom. 2. p. 291.* Ildefonso Toletano *lib. de viris illustribus.* Nominat se autor in libris veteribus Isidorum, modo Mercatorem, modo Peccatorem. *Mercatores, an peccatores.* Quod si fides habenda esset chronico Juliani Toletani, quod edidit Laurentius Ramirez, haberemus Isidorum Mercatorem, Episcopum Setubensem, (hodie Xatipha dicitur, urbs Hispaniæ) qui ope Monachi cujusdam Benedictini compilationi operam dedisse dicitur, & obiisse *anno 805.* Quisquis fuerit vix est, ut Hispalensis ille Episcopus fuerit. Hic enim *A. D. 636.* vitâ functus fuit, ut docet Redemtus Diaconus in ejus vitâ. *Non certè Hispalensis.* Compilator verò non modò concilii Toletani XI. ab obitu Hispalensis triginta novem annis, & sexti Oecumenici *A. D. 681.* ab obitu ejusdem 46. annis celebratorum meminit: Sed & Gregoriorum II. & III. Zachariæ, Bonifaciique Moguntini, qui *anno 755.* obtruncatus fertur Baronio, verbis utitur. Quibus fortissimis convictus rationibus Bellarminus *de Pontif. R. lib. 2. c. 14.* epistolas ejus compilationis non audet genuinas affirmare. Et Baronius *ad annum 865. §. 8.* eas apertè abjudicat Isidoro, quidquid Turrianus pro eis asserendis molitur. Quid? quod Dionysius Exiguus nullam facit mentionem Isidorianæ collectionis Epistolarum, ut ut suæ canonum collectioni Epistolas Decretales Pontificum Romanorum adje-

adjecerit: Sed nec apud Leonem & Gelasium mentio earum exstat, qui tamen frequenter epistolas prædecessorum suorum laudant. Sed & prolixè id demonstravit David Blondellus in Pseudo-Isidoro, Adi & Dn. Conringium, amicum nostrum, *tract. de Orig. Jur. Germ. c.16.p.noviss.edit.77.* Hic Isidorus primus epistolas priscis Pontificibus à Clemente inde mangoniâ fraude suppofuit. Quem ὑποβολία secuti reliqui compilatores fuerunt. Vide Marsil. Patav. *defens pac. c.2.c.28.* Nicol. Cusan. *lib.3. de concord. c.2.* Ant. Contium *in annot. ad dist. 16. c. Septuaginta.* Centur. Magdeburg. *cent.2. c.7.* Blondell. Pseudo-Isid. *proleg.* Huc pertinent Capitula Ecclesiastica Karoli M. Ludovici & Lotharii Impp. ab Ansegiso & Benedicto Levita collecta ejusdem ferè ætatis. Et quidem collectio Canonum operâ Albini seu Alcuini & Paulini Episcoporum habetur apud Ansegisum *lib.1.* Et in celeberrimæ Academiæ Juliæ Bibliothecâ exstare manuscriptam testatur divinarum, humanarumque rerum scientissimus Dn. Hermann. Conringius *tract. de origin. Jur. Germ. c. 24. pag. 61. ed. noviss.*

Capitula Karoli, Ludovici & Lotharii.

CAP. VI.

De Photii Nomocanone, & compilationibus Ivonis Carnotensis, Alexii, Simonis, Arsenii, Blastaris.

POstidea Photii Nomocanon locum vindicabit. Floruit Photius Nicolao I. & Hadriano II. Pontificibus, imperante in oriente Basilio Macedone, in occidente Karolo Calvo. Quem Zonaras appellat ἄνδρα τ̃ ἐπισήμων πρωτασηκρῆτις τότε τυγχάνοντα ἐν λόγοις ὀνομαστότατον. *Virum insignem primarium à secretis tunc ob eruditionem celeberrimum.* Maximi autem iste fuit Nomocanon totiusque canonicæ disciplinæ elementa continere creditus, quem jussu Emanualis Comneni Imp. & Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani Theodorus Balsamon commentariis perpetuis illustravit. Secuta est alia collectio canonum Burchardi, Wormaciensis Episcopi, quem Itali Brocardum appellant (*Et inde Brocardica volunt dicta, id est, regulas canonicas, quas Damasus vetus Juris Canonici Doctor conscripsisse dicitur, & Petrus Salunus Aquilinus recogno-*

recognovit ex Manuscriptis exemplaribus, qui in præfatione libelli ita scribit: Burchardica inscribuntur à Burchardo Episcopo Wormaciensi, qui primus ea tempestate cœpit jus Pontificium ad generales quasdam theses revocare. Ex Gallis atque Italis plerique originationem verbi ignorantes, corrupte Brocardam & Brocardum appellant. *Sane Burchardicas ejusmodi regulas non dubitat appellare Cujacius in præfatione ad consultationes suas)* Ottonis III. & Henrici IV. Bavari Impp. temporibus *A. D.* ut habet Sigebertus 1008. continens libros viginti, secundum ordinem non temporum, sed materiarum distributa. Quibus suppostitias primorum Pontificum Epistolas, cum selectis ex Augustino, Hieronymo, Gregorio & Isidoro locos adjicit. Vide Censores Gregorianos, *præfatione recognitionis suæ.* & P. Gregor. *partit. Jur. Can. tit. 1. n. 12.* Habetur ejus epistola formata *can. 1. dist. 73.* Sequitur compilatio Ivonis Carnotensis Episcopi, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum MC. publicavit, qui duas fecit collectiones Canonum & Conciliorum, additis etiam legibus civilibus quibusdam, quarum altera Panormia dicitur, seu ut quidam volunt, Pannomia, quod omnes complectatur leges. A. Possevinus *appar. sacr. tom. 2.* Altera Decretum inscribitur, quam posteriorem quidam Hugoni Catalano tribuunt Ivonis Epitomatori. P. Gregor. *partit. d. l. c. n. 13.* Adeoque exemplo Johannis Scholastici & Photii, Nomocanonis instar, Jus civile cum Canonico comparare voluit. Sunt & compilationes aliæ apud Græcos Alexii Aristeni Diaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ inscribitur Synopsis Canonum: Simonis Magistri ac Logothetæ Epitome Canonum: Arsenii Monachi Hierosolymitani & postea Patriarchæ Constantinopolitani Synopsis canonum. Matthæus item Blastares Monachus, & Constantinus Harmenopolus. Apud Latinos collectio Anselmi Lucensis. Deus dedit, Cardinalis, qui *A. D. 1087.* scripsit, Gregorii Presbyteri, qui opus suum *Polycarpum*, inscripsit Rhegionis, & aliæ.

Pannormia.

Synops. Canonum Alexii, Aristeni, Simonis Magistri, Arsenii, Matt. Blastaris &c.

Cap.

CAP. VII.

Leges canonisatæ.

UTrum verò Gratiani collectio, seu corpus illud Decretorum, secundum omnes sui partes, atque adeò & ea, quæ de suo Gratianus addidit, eandem vim ac potestatem habeant, non adeo certum est. Et de canonibus & synodorum decretis jam diximus. Quid verò de legibus Imperatorum, quas inseruit hinc inde? An amplius quid per id consecutæ, quod in decreto relatæ leguntur? Ita ut non jam solo legis arbitrio, sed & ut jus canonicum valeant? Responderi solet, non omnes, quæ per Gratianum transscriptæ sunt, sed illas solas leges juris canonici potestate valere, quæ canonibus & constitutionibus Ecclesiæ sunt insertæ, &, ut ait Cæpolla, *de cogn. lib. Jur. can.* si lex posita est in medio unius capitis, censetur canonisata. Non enim per hoc lex civilis canonisatur, quod posita sit inter canones, vel libro decretalium ac decreti, *gl. c. 1. in gloss. 2. de Except. gl. c. super eo. & ibi Panor. in f. de Testib.* Vide Jason. *in l. 1. n. 43. C. de Summ. Trin. Canis. sum. Jur. Can. lib. 1. tit. 1. Joh. Franc. à Ripa ad cap. ex parte 2. de rescript. n. 80.* ait leges, quas Gratianus inseruit decretis, dici non canonisatas, sed simpliciter registratas. Canonisata autem à Pontificibus dicitur, quando in canone reperitur incorporata. Abb. Panor. *ad cap. Ex parte 2. n. 9. de Rescript. Ph. Decius d. loc. n. 1. & 2.* Quibus consequens est, ut si lex canonisata abrogetur ab Imperatore, ea tamen jure canonico maneat valida. Decian. *tr. crim. lib. 2. c. 18. n. 22.* Quod attinet vero ad dicta Patrum, ea non sunt legum instar, nisi decretalibus expressè comprobata. Neque enim Patres condendi legem potestate fuére præditi, neque hoc animo scripserunt, neque Gratianus quod non ex se habuerunt, id eis largiri potuit. Quâ ratione rectè statuitur, Innocentii Commentarios pro lege habendos non esse, quia nec eo, sed interpretandi animo scripsit, itaque & reprehendi, ut quivis interpres alius potest. Alber. Gentil. *pag. 20.* Tandem & de Gratiani dictis propriis videndum. Ea vim legis non habere, exploratum est. Et à suo Glossatore audire subinde cogitur: *Superficialis est argumentatio Magistri, gl. c. 2. dist. 68. & in c. 7. c. 2.*

Dicta Patrum.

Gratiani dicta propria.

c.7.c.2.q.3. *Fateor planè, te mentitum Gratiane*, & alia hujus generis elogia. Vide Felin. *c.2. de rescript.*

Cap. VIII.

Decretum an à Pontifice confirmatum.

SEd numquid Decretum ab aliquo Pontificum Romanorum in vim juris seu legis Canonicæ confirmatum fuit? Variant sententiæ. Trithemius in vitâ Gratiani, Sotus *lib.3. q.3. art.1.* Sylvest. *summâ, voce Lex. n.13. §.multa, chronicon Hirsaugiense p.184.* approbatum ab Eugenio III. perhibet. Idem asserit Maranta *in pr. dist.3. n.34.* dici scilicet approbatum ab Eugenio, sic quoque Cardinalis Tuschus *tom.2. lit. D. conclus. 110. n.2.* Qui tamen *n.1.* ait, id comprobatum fuisse & confirmatum à Sixto III. & addit *n.3.* quod hodie sine dubio probet, quia Gregorius XIII. illud approbaverit, dum in Bullâ suâ impressoribus concessa, illud cum Decretalibus, Sexto & Clementinis appellet corpus juris Canonici. Quod etiam contra Gretserum contendit Goldastus *Replic. pro Imperio. p.m.132.* Sed plerisq; videtur expressâ Pontificis alicujus sanctione id nō esse confirmatum. Vide Ant. August. *Emend. Gratiani l.1.c.1.& lib.2.c.9.* Neque enim exstare confirmationem istam, nihilque de eâ in editione Romanâ sub Gregorio XIII. editâ. Francisc. Florens *præfat. p.7.* Vide & quæ notat Joh. Andreæ ad citatum Durandi locum, ubi addit, approbatum fuisse quoad compilationem, non quoad dicta Gratiani. Quia tamen in scholis & foro ferè omnium nationum Christianarum receptum fuit, hactenus saltem valere, quatenus auctores horum canonum fidem merentur. Vide Præpositum Alex. *primo proœm. Marantam praxi dist.3. n.34.* Felin. *num.39. de Rescript.* Alber. Gentil. *de lib. Jur. Can. c.2.* Arthur. Dyck. *de auct. Jur. p.104.* Zœs. *parat. Jur. Can. præfat. n.10.* A. August. *præfat. in can. pœnit.* Et in scholis plenam fidem facere, ut ait Panormit. *ad c.2. de Rescript.* Nisi quatenus contineat rubricas & paleas. Vide Joh. And. *in addit. ad Specul. §. fin. tit. de disput. & attest.* Quod attinet enim rubricas, ita censet Durandus *lib.2. Specul. part.2. disp. & alleg.* Rubricas juris civilis, & Decretalium esse authenticas & jus facere, secus autem in Rubricis Decreto-

cretorum, tum quia alius fuerit conditor Decretorum, & alius earum, tum quia illæ quandoque falsæ reperiuntur. Id quod & ante Durandum notavit Azo *ad tit. C. Ne fidejuss. dot. dent.* Eadem habet & Panormitan. *in proœmio Decretalium.* Ergo quoties de horum canonum vi & potestate agitur, recurrendum ad originem & fontes, unde manarunt. Alio enim jure censeri ea, quæ ex conciliis, alio, quæ ex constitutionibus Pontificum, alio, quæ ex dictis Patrum. Denique multa ex incertis & suppositititiis scriptis inseruisse Gratianum, quæ occasionem dederint ejus emendandi. Francisc. Flor. *præf. p 7.* Et quidem ante Ant. Augustinum & Romanos censores id Antonius vidit Demochares. Prolixius autem Ant. Contius in suâ præfatione demonstravit, quam ideo castravit Antverpiensis censor. Quo de Contius conqueritur *lib. 1. subs. lect. c. 10.* supersunt tamen vestigia hujus mutilationis in fine præfationis secundæ Contii, in quâ profitetur, commentitia plurima & apocrypha Gratianum admiscuisse. Quod & repetit in notis *ad can. Septuaginta, dist. 13.* & ad inscriptionem *can. 2. dist. 21. Ibi; Idem Anacletus*, ubi allegatur Contius, majorem probationem requirens: Quam verò præstiterat in suâ præfatione, sicut ostendunt notata ab eo *ad can. judicantem. 11. c. 30. q. 5.* Fr. Florens, *Antecessor Aurelianensis d. loc.*

Cap. IX.
De Paleis.

Porro in hoc Decreto reperiuntur quædam capita, quæ Paleæ inscribuntur, quo de nomine opiniones variæ: Aliis quasi ὡς παλαιά, antiqua seu antiquata, παλαιῶ nomine celebratur Interpres quidam antiquus Digestorum, Codicis & Institutionum, quem ætate Justiniani vixisse Godofredus censet. *Vide Joseph. Mariam Suaresium in notit. Basil.* Aliis ἀπὸ τῦ πάλιν, rursum: Alii, quod quemadmodum Paleæ ad grana viles sint, sic capita illa omni pondere careant. Et hanc notam ab Eugenio III. Pontifice adscriptam, cui Gratianus compilationem suam obtulit, scribit Gilbertus Regius *concil. lib. 1. c. 24.* Et confirmat Andr. Alciatus *12. parerg. 3.* ex more loquendi ejus seculi vulgari, quod

quasvis res nullius momenti paleas appellavit. Sunt qui ferant, nomen esse proprium alicujus, quem Cardinalis Alexandrinus *proœm. decret.* Procopaleam, Jason. *Rubr. Inst. de act. n. 12.* Quotopaleam, Critici Gregoriani *Protopaleam* appellatum volunt. Et his capitibus à plerisque omnis auctoritas abjudicatur. Vide Cæpoll. *de cognit. lib. jur. Can.* Martam *de Jurisd. p. 12. 30. num. 35.* Curt. Jun. *tract. de feud. p. 1. q. 1. n. 3.* Catell. Cott. *de JCtis*, Hotom. *bruto fulmine. §. soluta potestas, n. 103.* Hoc certum est tamen, quia hæ Paleæ in quibusdam vetustissimis Decreti exemplaribus non exstant, eas uno eodemque tempore non fuisse adjectas, sed ad primam Gratiani compilationem forte in margine adscriptas, unde pro lubitu librariorum modo in textum receptæ, modo omissæ, & vel cum cæteris capitibus conjunctæ, vel seorsum positæ. Sed perperam credi eas esse leves, & exigui momenti vel inde constat, quod non paucæ earum à vetustioribus Gratiani compilatoribus agnoscantur.

Cap. X.

Emendatur Gratianus plusculis locis.

ANtonius Augustinus scripsit emendationes Gratiani, à quo Critici Gregoriani plurimum profecerunt. Sunt ista in manibus studiosorum hominum, qui editionem Romanam versant. Nihilominus quia corpus CanonicumGlossatum, ut loquimur, veteres retinet lectiones, neque editiones novas semper cum veteribus conferre vacat, ne dicam etiam post emendatores Romanos menda reliqua facta, non ludet operam profectò, qui in emendationes eorum incumbit. In *can. 7. dist. 1.* reliquerunt Gregoriani inter exempla juris naturalis *successionem* liberorum, & educationem. Legendum *susceptio.* Emendatores ipsi in tribus Codicibus MSCtis Isidori & aliquot Gratiani ita legi, testantur, & convenire lectionem cum *l. 1. ff. de J. & J.* Can. *ult. distinct. ead.* legitur hodiè rectè, *de cretionibus, de tutelis &c.* Sed in glossato: vel de *curationibus*, vel de *contractibus* Quod emendatum est ex Codicibus Isidori. Distinctione II. can 6. *Papius & Pompejus.* Lege, Papius & Poppæus. In *can. 3. dist. 15. vers. ite venerabilis viri.* olim scriptū erat pro heroicis, hæreticis. Quod bonis quibusdam Canonistis, ut ait Philippus

lippus Carolus de criticis, suspicionem movit, poëmata omnia esse hæretica, Poëtasque inter pios, etsi sacra tractent, nequiquam annumerari. Id quod Hadriano illi Batavo, qui Caroli V. Præceptor fuit, adeò persuasum fuit, ut nullum hominum genus majori persequeretur odio, quam Poëtas, & adhuc aliqui, ut Pierius affirmat, non mali alioqui Præsules, depravatâ illius loci lectione, neminem sacerdotio dignum arbitrantur, qui unquam in Parnasso somniarit. In eodem can. 3. Historia Eusebii Pamphili inter apocrypha recensetur. Quæ verba ab asino quodam adjecta ait Beatus Rhenanus in præfatione historiæ Eusebii Cæsariensis: Sed defendit Molinæus, quia omnes libri sic habeant, etiam inter concilia Ecclesiæ tom. 1. Cap. XV. dist. 18. Memoratur concilium *Martini I. Papæ*: Sed errat Magister noster. Est è Martini Bracarensis collectione, à concilio Lucensi probata anno 572. quæ edita habetur beneficio Johannis Doviati, sacrorum canonum Professoris Regii. Vide de hoc Martino Gregorium Turonensem. *hist. Franc. lib. 5. c. 38. & lib. 1. de mirac. S. Mart. lib. 1. c. 2.* Isidor. Hispal. *de Viris Illustribus c. 22.* & in chronic. Gothorum in fine, Aimonium Monachum *de gestis Franc. lib. 3. c. 38.* Sigeb. de Script. Eccles. *c. 19. & 117.* A. Augustinum præfatione in antiquas collectiones Decretalium, Baronium. *tom.* 7. ad Annum Christi 5?7.

CAP. XI. Lex Satura.

CAnone VII. distinct. 2 Gratianus Magister ex Isidoro *Saturam legem* facit, quæ de pluribus simul rebus loquatur. Ita Festus, Diomedes, Isidorus. At nota quidem lanx satura, lex satura non item. De illâ Varro in quæstionibus Plautinis. Satura est, ubi uva passa, & polenta, & nuclei pini ex mulso consparso, alii addunt & de malo Punico grano. Qua significatione vocem esse Laconicam ex Hesychio & Varino bene ostendit vir quidam eruditus. Sabini erant Laconum coloni, à Sabinis ergo hanc vocem accepere Romani. De Lege Saturâ memini equidem Glossarum Philoxeni; *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων, nempe cum uno rogatu plura diversa ferrentur. Nec latet, quod ex Tito Annio Lusco in oratione adversus T. Grachum Festus citat in *Satura*: *Imperium, quod plebes per saturam dederat, id abrogatum est.* Ubi imperium per satu- *Lanx Satura.*

ram collatum dicitur, quod unâ rogatione cum variis capitibus confusè propositum notatur. Sed & quod Lælius ait, apud eundem Festum: Dein postero die, quasi per saturam sententiis exquisitis in deditionem accipitur, idem valet, atque collectim, raptim, tumultuariè. Inde tamen Grammatici legem, quæ satura voceturRomanis, nunquam conficient. Falsum itaq; est, saturam speciem legis constituere. Et decepit itaq; Isidorus Gratianum. Quid enim aliud sibi vult Grachi illud? Imperium per saturam dare, quid Lælii, sententiam per saturam exquirere? quam confusè, commixtim: Minimè per legē saturā. Facit Justinian9 præfatione ad Pandectas: Hoc opus tradebatur nō secundū edicti perpetui ordinationem, sed passim, & quasi per saturā, collectū & utile cū inutile mistum.

Cap. XII. Ad can. XI. dist. 16. Quid sit Annotatio?

Annotatio quid. Canon XI. unde sit desumtus, ignorari ait Ant. Augustinus c. 19. de Emendat. Gratian. Continet autem diversas annotationes synodorum particulariū. Annotatio glossis παραπημείωσις. Est brevis & compendiosa scriptura pro memoriâ facta. Ita capitur *in l. 82. §. servo. 2. ff. de Leg. 2.* Sic usurpatur privata scriptura, qua debitorem aliquem nobis adscribimus, *l. 7. C. de probat. l. ult. C. d. conv. fisc. debit.* Hoc loco significatur compendiosa synopsis synodorū. Sic utitur Julianus Antecessor *Novell. 248.* & Justinianus *Nov. 82. c. 5.* Et Cresconius in Breviario, ubi enumeratis canonibus sanctorum Patrum, addit: Explicit annotatio canonum sanctorum Patrū. Dicebatur παραπημείωσις, cùm actu non essent plenaria, neque omnes allegationes partium scriptis mandarentur, sed sūma capita paucis sub uno conspectu ponerentur. Vide Sum̄um Cujaciū ad *Nov. 82.* Et Hieronym. in Esaiam *c. 4.* σημειώσεις vocat excerpta & annotata. Prima ergo annotatio est Ancyranæ Synodi. *Ancyra.* Ancyra Metropolis Gallatiæ. Decem & octo episcopi è diœcesibus Orientis Asianâ & Ponticâ XXV. canones ediderunt. Quorum observatio ad alias quam tres illas diœceses non poterat extendi. Secunda Neocæsariensis. *Neo-Cæsarea.* Neocæsarea est Metropolis Ponti Polemoniaci, ut est in Notitiâ Leonis. Auctor canonum in ea expositorum dicitur Gratiano Vitalis, Episcopus Salaminius. Sed perperā. Nullus enim talis fuit Episcopus. In subscriptionibus apud Binnium legitur primus, Vitalis Antiochenus Cœles Syriæ. Legendum forsan apud Gratianum

Vitalis

Vitalis Antiochenus & Salaminus Germanicæ Cæles Syriæ, qui etiam synodo subscripsit. Nō enim semper qui concilio præerant, etiam canonum erant Auctores. Nam Concilio Valentino III. Remigius Lugdunensis Præses fuit, & Ibo Gratianopolitanus quartus in ordine auctor dicitur sex primorum canonum concilii ab Hincmaro in priore epistolâ ad Carolum Calvum: Et Venilo Senonensis episcopus præerat concilio apud Carisiacum, & tamen Hincmarus composuit quatuor capitula contra Godeschalci errores, ut est in ejus actis, teste Johanne Dartesio. Tertia fuit Gangrensis, post Nicænum concilium, ut habet Inscriptio hujus synodi apud Zonaram, & Zonaras ipse, Balsamo & Harmenopulus in epitomâ canonum. Gangra Paphlagonum civitas est, & Metropolis. Zonaras *lib.3.c.13.* Et Imperator Leo Sophus in dispositione Metropolitanarum sedium. Auctor canonum statuitur Gratiano Osius Cordubensis. Constat præterea ex epistolâ Episcoporum synodicâ ad Armeniæ episcopos, apud Binium, inscriptâ à XVII. Episcopis. Dicitur congregata contra Eustathium, quem Sebastenum intelligunt Episcopum, ex Socrate *lib.2.c.33.* & Sozomeno *lib.3.c.13.* Samuel Petitus *lib.3.var.lect.* Eustathium illum non fuisse Sebastenum Episcopum, sed Presbyterum tantum ex Socrate, citato loco adstruit. Baronius non fuisse Eustathium, sed Eutachium quendam damnatū: quod Basilius & alii, qui loquuntur de variâ ejus dispositione ei nunquam objecerint Synodi Gangrenæ condemnationē. Sed hæ conjecturæ sunt. Quarta est Sardicensis. Sardica Illyrici urbs, Daciæ Metropolis, ut tradunt Eutropius, Antoninus Itinerario & Suidas. Sed Serdica scribunt. Consentiunt Socrates Scholasticus *lib.2.c.18.* & Theodoretus *lib.2.c.3.* Sigonius *lib.5.* Occidentalis imperii, locat eam cis Istrum, in Daciâ Mediterraneâ, inter duas Mœsias. Eam esse quæ postea Triadiza dicta ait Glycas, Imperatores quandoque ibi constitisse, datæ plures inde constitutiones Constantini M. in Cod. Theodos. docent, ut *l.2. de donat. l.1. de Accusat. Anno 316. L.1. ad L. Jul. de Vi. Anno 317. Anno 319. L.1. de Abolit. L. 2. de Inoff. Testam.* quæ data est ad Claudium Præsidem Daciæ. A Valentiniano & Valente *l.3. de Legat. ad Mamertinum P.P.* Alia est Sardis urbs Lydiæ, ad Tmolum montem sita. Stephanus Byzanzius περὶ πόλεων: Σάρδις πόλις Λυδίας. Ὁ πολίτης σαρδιανὸς, τὸ κτητικὸν

Gangra.

Sardica.

Triadiza.

Sardis.

κὸν συνέδριον. Ponitur hæc à Gratiano ante Antiochenam. Sed Antiochena prior. Habita enim Ruffino & Eusebio COSS. an. XI. post mortem Constantini. Socrates *lib.2.c.15.* Vel decimo, ut Sozomenus *lib.3.c.11.* De Sardicensi ait Gratianus noster, Patres LX. statuisse canones viginti unum, quorum auctor maximè Osius Cordubensis episcopus, & Vincentius Capuanus Episcopus, & Januarius Beneventanus, & Calepodius Neapolitanus. Fuere plures nomine Januarii. Hic autem Beneventanæ civitatis Episcopus capite cæsus sub Diocletiano Principe Constantio V. & Maximiano COSS. ut Baronius refert. Imensam etiam flamarum eruptionem è Vesuvio non tantùm proximè adjacenti civitati ac circumjacentibus regionibus: sed toti Europæ conflagrationem minitatam fuisse, quæ tamē Januarii virtute compressa fuerit, ex veteri homilia narrat idem. Meminit Romæ in suburbiis viâ Tiburtinâ templi in honorē Januarii dicati, Gregorius *lib.4.dialog.c.26. & 54.* Sanguis hujus martyris in ampullâ vitreâ servatur concretus, liquescere tamē & fluere, perinde ac recens effusum sæpe conspici, ait Baronius Martyrol. die 19. Sept. Cæterum de auctoritate hujus concilii non convenit Bellarmino & Baronio. Ille partim confirmatum, partim reprobatum esse ait. At Baronius ad A.D. 345. & Binius in notis ad hoc conciliū volunt constitisse ex meris Orthodoxis CCCLXXVI. Episcopis. Quod refutatur ex historicis illorum circiter temporū, Socrate, Sozomeno, Theodoreto & ipso Athanasio præsente in concilio, Apologiâ II. Emblema igitur Binii est, adjicientis non solū hæc verba Synodo: *Tom.1.fol.446. Et subscripserunt, qui convenerunt Episcopi omnes.* Sed & Gratiano nostro insultantis, quod sexaginta tantum Episcopos concilio interfuisse asserat. Sanè Socrates *lib.2.c.20.* disertim memorat circiter CCC. occidentales orthodoxos Sardicam convenisse; Ex orientalibus autem Arrianis eo statim LXXVI. adfuisse. Unde refutatur iterum Baronius & Binius, qui duo eodē tempore celebratā cōcilia fuisse, uno CCCLXXVI. orthodoxorum, altero LXXVI. Arrianorum volunt. Unam enim fuisse synodum: Sed quia vicina erat Philippopolis, Arrianos suum seorsim agitasse ibi conciliabulum, Socrates *lib.2.c.20.* testatur. Quantum ad Gratianum non dicit non plures LX. Patribus concilio interfuisse: sed totidem eorum canonibus statuendis operatos esse. An verè, non disputo.

Januarius Episc. Benevent.

Concilii hujus auctoritas.

Binii emblema.

Sensus Gratiani.

Cap. XIII.

De Apocrisiariis.

VIr eruditus David Blondellus hoc nomen ante annum Domini 450. Romæ non esse cognitum ait. Et in occidentali Ecclesiâ receptum circa annum 500. De his Adalardus apud Hincmarum Rhemensem Epistolar. lib. 3. c. 9. duos in Aulâ Francorum regios ministros comparans ait: præcipuè duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatii custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ: Et Comes Palatii de omnibus secularibus causis vel judiciis suscipiendis curam instanter habebant, ut nec Ecclesiastici, nec seculares prius Domnum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi prævidecent, si necessitas esset, ut causa ante Regem merito venire deberet. Et *c. 20.* Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiasticâ religione, nec non etiam Canonicæ vel Monasticæ altercationes, seu quæcunque palatium adibant, pro ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis Regem adirent, quæ sine illo plenius definiri non potuissent. Pertinebant itaque omnes quæstiones canonicæ, quæ ad palatium deferebantur, ad Archicapellani cognitionem & judicium; Non secus atque omnes causæ seculares ad Comitem palatii pertinebant, quem vice Regis in palatio jus dixisse de majoribus causis seu Regum mandato seu officii prærogativâ cognovisse, ex Bignonio in notis ad Marculphum observant viri docti. Decreta illa nomine Regio inscripta continebant, Regem ex relatione Comitis Palatini judicasse, aut ab illo & Proceribus jam jam judicatas firmasse. Quem magistratum in Germanico Imperio longo tempore durasse, notat P. Pithoeus. Et Aventinus *lib. 4. Annalium.* Vicem, *ait,* Cæsaris præsidendo Senatui principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusque reddebat, fiscum Augustum, prædia Salica, reditus regios procurabat, cæsareum censum exigebat, nihil citra ejus auctoritatem Duci aut decernere aut statuere licebat. Cæterùm de Apocrisiario notandum, non ingratum fuisse Pontificibus munus hoc in Aulâ

Archi Capellanus. Apocrisiarius.

Comes Palatii.

Regiâ, quandoquidem Episcopis huic dignitati adhibitis gratiam faciebant canonum, & ut abesse ab Ecclesiis suis & assiduè in palatio versari liceret. Ita enim Carolus M. in concilio Franceofordiensi. *c. 55.* Dixit Dominus Rex in eâdem synodo, se à sede Apostolicâ, id est, ab Hadriano Pontifice licentiam habuisse, ut Angilramnum Archiepiscopum in suo palatio assiduè haberet propter utilitates Ecclesiasticas. Deprecatus est eandem Synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum Episcopum habere debuisset, quia & de eodem, sicut & de Angilramno Apostolicam licentiam habeat. Omnis Synodus consensit, & placuit eis eum in palatio esse debere propter utilitates Ecclesiasticas. Dicebatur autem Præfectus iste Capellæ Regiæ, Apocrisiarius, à respondendo, exemplo Responsalium, qui morabantur in urbe CPolitanâ, à Romanâ sede, aut à cæteris Patriarchis missi, ut Rebus Ecclesiasticis prospicerent, hac tamen differentiâ, quod Regius Capellanus jus diceret, Responsales vero negotiis procurandis præcipuè in urbe Regiâ vacarent *Vide P. de Marcâ.* Ubi & hoc monet, Archicapellani auctoritatem paulatim desiisse, & cum munere Comitis Palatii fuisse confusam.

Apocrisiarius.

Sunt qui Apocrisiarium eundem esse volunt, qui Justiniano in Nov. XXV. c. 1. ad finem. & l. 18. C. de Re militari. Ad-Responsum dicitur, & ita quidem vetus Novellarum Interpres: At textus Græcus Haloandri d. Nov. 25. ipsum hoc Latinum Ad-Responsum, ponit, *ἰχέτω μήνυσ* Ad-Responsum *τὴν στρατιωτικὴν ἐυκοσμίαν, & rel. qua.* Et sic etiam Latina Juliani Patricii versio. At hoc aliud officii erat genus, nempe qui vice Magistri militum præsentalium Responsa dabat, ut docet Cujacius, & addit: Qua ratione legati hodie à plerisque dicuntur Apocrisiarii & Responsales. Et inde nomen scrinio auri, Ad-Responsum. *l. 7. C. de Palat. sacr. larg.* Habeat Ad Responsum sive Apocrisiarius Adjutores & exceptores, sed & ipsi Ad-Responsum diversis locis destinati mutua sibi auxilia præstabant. Constat ex his, & hoc, in casu recto Ad-Responsus barbarè dici. Est enim inflexibile, Ad-Responsum, ut Circum-pedes, Ad-manum. Denique erat adhuc aliud genus τῶν Ad-Responsum seu Apocrisiariorum, quo utebantur Monachi co-

Ad-Responsum.

chi coram Episcopo conventi, nempe qui vicem Syndici gerebat. per quem respondebant Nov. 79. c. 1. ubi vetus Interpres voce Responsales, utitur.

CAP. XIV.

De Annatis. Ad cap. Novit. distinct. 100. & can. sicut Episcopum. c. 1. q. 2.

Est genus vectigalis Pontificii, quod Annatas vocant, quo primi anni fructus ex Episcopatibus, Abbatiis aliisque beneficiis fisco Apostolico inferri debent. Egi dudum de his in Controversiis Illustribus superioris seculi *dissert. 5. thes. 17.* Fertur inventum recens, & ut creditur, Bonifacii noni. Ita Platina p. m. 259. Sed antiquius facit Hostiens. in capit. *Inter catera.* de Offic. Ordin. ubi jam ante sub Alexandro IV. de Annatis sæpè reclamatum fuisse. Vixit is circa annum 126. Sunt qui Johanni XXII. tribuunt. Sed si originem & usurpationem spectes, longè antiquius hoc vectigal est, ut vel ex damnationis sententiâ in concilio Chalcedonensi constat. *can. 2.* Antoninus Episcopus Ephesi ordinationes Episcoporum vendebat pro modo redituum, ut habet Palladius dial. de Vitâ Chrysostomi. Quare Chrysostomus concilium convocavit Ephesi, quo damnata est hæc exactio, Episcopis sic ordinatis depositis, non attentâ exceptione, quod secundum consuetudinem dederint, & pecuniam suam condicere ab heredibus Antonini permissum fuit. Cumque fraus canoni fieret, datâ videlicet pecuniâ post ordinationem Gennadius Episcopus CPtanus anathema in transgressores excussit, libro tertio Juris Græco-Romani pag. 187. Octuaginta annis post Gennadium Justinianus magnus Novellâ CXXIII. c. 3. consuetudinem firmavit, ut Episcopi, postquam consecrati fuerant, pro inthronisatione certam pecuniæ summam darent, quæ in dictâ Novellâ præscribitur. Eam Pontifex Romanus, ceterique Patriarchæ ac Metropolitani ac Episcopi consueverunt Archiepiscopo & Archidiacono ordinatoris tradere, ad distribuendum his, quibus ex consuetudine oportebat. Quinam vero isti? Godofredus Pater suspicatur in utilitatem Ecclesiæ & alimoniam pauperum cessisse. Sed aliud verba innuunt.

Annatarum auctor.

Enthronisticum.

innuunt. Ipsa enim Novella Episcopis, qui in consecratione aderant, nec non Clericis & Notariis, qui in eâ ordinatione ministrabant, & diplomata conficiebant, distribuit. Non nego tamen post Justinianum ita obtinuisse, ut patet ex instructione, quam Patriarcha tempore ordinationis suæ dabat Metropolitanis art. 10. Τὸν λεγόμενον θρονισμὸν οὐ τῷ χειροτονοῦντι, (μὴ γένοιτο) ἀλλὰ τοῖς ἐνδεεστέροις τῶν κληρικῶν, ἢ καὶ τοῖς ἐκκλησιαστικὴν ἄλλην ὑπηρεσίαν τελοῦσι, κατὰ ἀναλογίαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐπορίας διοριζόμεθα δίδοσθαι. εὐπόρου γὰρ τῆς ἐπισκοπῆς καθισταμένης, εὐεργεσίας μέρει τοὺς ὑπηρετοῦντας ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς διακονίαις, ἀπορώτερον τὸν βίον κεκτημένους, δωροφορεῖσθαι ἐκεῖθεν οὐθ' ὅλως ἀπείργομεν. *Statuimus, ut inthronismus, quem vocant, non ei, qui ordinat episcopum; (absit ut hoc fiat) sed pauperibus Clericis, vel alio quodam Ecclesiastico munere fungentibus, ratione facultatum ecclesiasticarum habitâ detur. Quippe si locuples sit Episcopatus, non penitus prohibemus, quo minus in eos, qui ministeriis Ecclesiasticis inserviunt, & inopem vitam traducunt, velut ex beneficentiâ munuscula quædam conferantur.* Hoc genus honorarii Justinianus vocat ἐνθρονιστικὸν, quod Julianus Antecessor vertit cathedraticum. Aliud vero dicitur συνήθεια vel consuetudo, ut ex d. Nov. 123. c. 3. videre est. Hæ appellationes innuebant prætextum, quo pecuniarum istarum acceptio velabatur. Nimirum ab Episcopis accipiebatur pro enthronistico, & cathedratico, quod hodie installationem vocamus: à clericis verò partim pro ministerio suo in consecratione, partim pro expensis itineris & commeatus. Quippe ex diversis provinciæ locis coibant, & morari oportebat in loco consecrationis, propter examen & actum consecrationis, dummodo unius anni diaria non excederet summa. Quod attinet συνήθειας Isacus Comnenus Imperator, qui anno MLVIII. Orienti præerat Episcopis propter ordinationem Clericorum plus septem aureis numis non permisit pro universis ordinibus usque ad Presbyteratum inclusivè. Constitutio ita habet:

Cathedraticum.

συνήθεια.

ΙΣΑΑΚΙΟΥ ΤΟΥ ΚΟΜΝΗΝΟΥ.

Περὶ τῶν ὑπὲρ χειροτονίας διδομένων συνηθειῶν καὶ περὶ τοῦ κανονικοῦ.

Τυποῖ ἡ βασιλεία μου, ἵνα ἐπὶ τῇ χειροτονίᾳ τῶν ἱερέων καὶ ἐπὶ τῷ κανονικῷ τὸν παλαιὸν ἐνέργειν τύπον: καὶ μηδὲν ἐπὶ τῇ χειροτονίᾳ λαμβάνειν πλέον τὸν χειροτονοῦντα τοῦτον ἐπίσκοπον, ἢ τὸν ἀρχιεπίσκοπον, ἀλλ' ἢ μόνα τὰ ἑπτὰ χρυσᾶ νομίσματα τῆς προτιμωμένης χαραγῆς τῆς Βασιλείας μου ἤγουν ἓν μὲν ὅτε ποιεῖ τοῦτον λιτὸν παπᾶν ἤγουν ἀναγνώστην. Τρία δὲ, ὅτε χειροτονεῖ αὐτὸν διακονόν· καὶ ἕτερα τρία, ὅτε πληροῖ αὐτὸν ἱερέα· ἤτοι πρεσβύτερον. ὡσαύτως, καὶ ὑπὲρ τοῦ κανονικοῦ, ἀπὸ τοῦ ἔχοντος χωρίου λ καπνοὺς, νόμισμα ἓν χρυσοῦ ὅμοιον ἀργυρᾶ δύο, κριθῆς μόδια ἕξ, οἴνου μέτρα ἕξ, ἀλεύρου μόδια ἕξ, καὶ ὄρνιθας τριάκοντα. ἀπὸ δὲ τοῦ ἔχοντος κ καπνοὺς, τὸ δίμοιρον τοῦ νομίσματος, καὶ ἀντὶ τῶν β ἀργυρῶν, ἀργυροῦν μέσαιρον ἕν, κριθῆς μόδια δ, ἀλεύρου μόδια δ, καὶ ὄρνιθας ν, ἀπὸ δὲ τοῦ ἔχοντος ι καπνοὺς χωρίου, ἀργυρᾶ ε ἀρνίον ἕν, κριθῆς μόδια β, οἴνου μέτρα β, ἀλεύρου μόδια β, καὶ ὄρνιθας ι καθὼς καὶ ἐν τοῖς σιγιλλίοις τῶν παλαιῶν πρακτικῶν ἀναγράφονται, καὶ ἡ σύμφωνος κατάθεσις τῶν ὅλων θεματικῶν παρέστησε τῇ βασιλείᾳ μου. *τὸ κανονικόν.*

ISAACI COMNENI.

De Consuetudinibus, quæ ordinationis nomine dantur; & de canonico.

MAjestas mea sancit, ut tam in ordinatione sacerdotum quam in canonico antiqua sanctio vigorem obtineat, neve quid amplius in ordinatione capiat episcopus, qui sacerdotem ordinat, præter septem nummos aureos præstantioris monetæ majestatis meæ. Videlicet unum, quando eum simplicem papam sive lectorem facit, tres, quando diaconum ordinat, & alios tres, quando sacerdotem sive presbyterum perficit. Similiter nomine canonici, à vico habente triginta fumaria, similis nummus aureus *Canonicum.*

unus exigatur, argentei duo, aries unus, hordei modii sex, vini mensuræ sex, farinæ modii sex, triginta gallinæ. Ab eo vero, qui fumaria viginti habet, bes aurei pro duobus argenteis, argenteus unus, agnus dimidiatus, hordei modii quatuor, vini mensuræ quatuor, farinæ modii quatuor, gallinæ viginti. A vico denique decem habente fumaria, quinque argentei, agnus unus, hordei modii duo, vini mensuræ duæ, farinæ modii duo, gallinæ decem: quemadmodum & veterum exactorum sigillis hæc perscripta sunt, & majestati meæ consentiens omnium depositio provincialium probavit. Vid. Photium in Nomoc. tit. 1. c. 34. p. m. 856.

Hoc tributum nondum erat in usu ætate Balsamonis, ut notat ipse in Responsione sua ad LVII. Interrogationem Marci Alexandrini, ubi ait; Episcopos nihil aliud acccipere consuevisse à populis, quam id, quod ultrò offerebatur: *δεχόμεθα τὴ συνηθεία καὶ προαιρέσει τῶν διδόντων.* Sed postea Gregorius Pontifex concilio Romæ coacto omne penitus hujusmodi tributum improbavit, quod extat *lib. 4. Epist. 44.* & apud Gratianum *can.* Novit. *distinct.* 100. & Can. *sicut Episcopum. c.* 1. qu. 2. Sed juvat locum ex Regesto integriorem, quàm Gratianus fecit, exhibere: Antiquam Patrum regulam sequens nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo. Neque ex datione pallii: neque ex traditione chartarum, neque ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit, appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo Pontifex manum ponit, Evangelicam lectionem minister legit. Confirmationis autem ejus epistolam Notarius scribit: sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere: ita minister vel Notarius non debet in ordinatione sua ejus vocem suam vel calamum venundare: pro ordinatione vero vel pallio seu chartis atque pastello eundem, qui ordinandus vel ordinatus, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hunc aliquid commodi appellatione exigere vel deferre forte præsumserit, in districto Dei omnipotentis examine reatu subjacebit. Is autem, qui ordinatus fuerit, si non ex placito neque exactus neque petitus post acceptas chartas & pallium aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo dare voluerit: hoc accipi nullo modo prohibemus: quia ejus oblatio nullam culpæ macu-

Pastellus.

maculam ingerit: quæ ex accipientis ambitu non præcessit. Vide eundem Gregorium *lib. 4. Epist. 51. 53. 55. 56. lib. 5. Epist. 7. lib. 7. Epist. 5. 113. 114. lib. 9. Epist. 40. 51. 53. & 54. lib. 11. Epist. 46.* Post Gregorium Zacharias Pontifex ad Bonifacium Sedis Apostolicæ Legatum graviter excusavit Cleri Romani ex hâc causâ exactionem. Sed duravit nihilominus anno MXC. ut docent epistolæ Ivonis Carnotensis. Sub Clemente V. non desiit, ut ex Guilielmi Durandi Episcopi Mimatensis, quem Speculatorem appellant, libro de modo generalis concilii celebrandi, ostendit P. de Marcâ. Anno MCXC. Episcopum Cenomanensem dedisse pro suâ ordinatione septingentas Marcas argenti Rogerius Hovedenus scribit. De Clemente V. Westmonasteriensis ad annum 1305. ita: Ipse verò Papa, videns insatiabilem quorundam Episcoporum Angliæ avaritiam importunè postulantium primas vacantes Ecclesias per annum in suis diœcesibus sibi concedi, advertensque, quia quod postulat inferior, potest & superior, appropriavit sibi ipsi per biennium omnes proventus de primò vacantibus Ecclesiis in Angliâ, videlicet de primo anno primos fructus, tam de Episcopatibus, Abbatiis, prioratibus, præbendis, Rectoriis & vicariis, quam de ceteris minutis beneficiis. Hactenus iste. Non ergo Johannes XXII. primus auctor annatarum est, quamvis eas fortè adauxit, atque alio, quàm consecrationum nomine recepit. Nam Johannes iste Annatam ab omnibus beneficiis non electivis exegit in usus Ecclesiæ Romanæ, atque ob eam causam reservavit usque ad triennium fructus omnium præbendarum, Ecclesiarum, parochialium & capellarum, quæ intra illud temporis spatium vacarent, ut patet ex *Extrav. comm. cap. Cum nonnullæ. de prebend. & dignit.* At hujus successores porrexerunt istud tributum etiam ad beneficia electiva.

Cap. XV.

De Jure Patronotus, processionibus. Δημεσία, περιόδω. Ad can. 26. caus. 16. q. 7. can. certum de consec. dist. 1. cap. Nobis 25. X. de jure patron.

Fun-

Processionis aditus. Fundatorem Ecclesiæ nihil juris in Ecclesiam habere, præter processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debeatur; ait Gelasius *cap. 20. caus. 16. qu. 7.* Sed quid est processionis aditus? Glossa exponit, licentiam adeundi Episcopum. Sunt, qui putant jus processionis appellari, cùm celebri pompâ obviam eundum sit Patrono ad Ecclesiam accedenti, ad ambitum usque Ecclesiæ. A. de Butrio *ad cap.* Nobis, *x. de Jur. Patron.* Lambertin. *tr. de Jur. Patron. 1. part. pr. n. 15.* Finckelthaus. *de Jure Patron. c. 6 n. 46.* Ungepaur. ad Decretales *tit. de Jur. Patron. n. 37.* Sed si ita sit, cur tribuat Gelasius hujus processionis aditum non alium Patrono, quàm qui omni Christiano debeatur? Verius est, cùm multi ædificantes Oratoria & ædiculas sacras Martyrum in honorem publicas processiones instituerent, Gelasius, omnia jura fundatoribus ablaturus, hoc quoque prohibuit can. certum. de consec. dist. 1. ideò statuit, non alias processiones permitti oportere Patronis, quàm publicas, quibus ipsis eodem jure, quo aliis Christianis interesse liceat. Id sanè probibuit Justinianus quoque

δημοσία πρόοδος. *Nov. 123. c. 32.* ne Laici faciant τὴν λιτὴν, quam δημοσίαν πρόοδον vocat, *publicum processum Nov. 67. c. 1.* & Julianus Antecessor. Prætendebant ipsi fundatores gradum, dignitatemque non tantum in ordinatione & electione Clericorum, sed etiam jus procedendi in conventibus & cœtibus fidelium, instar Episcoporum aliorumve Prælatorum. Processionum autem honorem Prælatis delatum ex Tertulliano, libro de præscript. adversus hæret. & Divo Augustino 22. de C. D. 8. datur agnoscere.

Processiones, Litaniæ. Erant processiones, supplicationes solennes publicæ cùm hymnis & canticis apud Gregorium lib. 2. Græci λιτανείας vocant, quibus interesse solebant Reges, Principes & magistratus, & ad campos usque sequi sacerdotes. Vide Zonar. tertio Annal. Patroni autem peculiarem litanian à reliquis sejunctam affectabant, quæ causa fuit Gelasio, eos in ordinem cogendi, ut litanias non nisi cum ceteris fidelibus celebrarent, donec Alexander III. *Cap.* Nobis. *25. x. de*

Jus præsentandi. *Jur. Patron.* processionis honorem Patronis indulgeret post Clericos, qui primi semper sunt. *cap. 1. de vitâ & honest. Cler.* Fuit ergo hoc Patronorum jus. Postea jus præsentandi Clericos eis datum,

datum; quod introduxit Justinianus magnus *Nov. 57. & 123. c. 18.* Quod tamen serius admiserunt Pontifices, nec ante concilium IV. Toletanum, *can. decernimus. caus. 16. qu. 7.* Postea ex constitutione Pelagii, can. *Eleutherius 30. caus. 18. qu. 2.* annuum censum ut ferrent Patroni, vel partem oblationum, quæ solennioribus diebus offerrentur, effectum est, dummodo lege fundationis id actum esset, nec census modum excederet. Concilium Braccarense *can. si quis basilicam. 10. de Consecrat. dist. 6.* Unde hoc jure Patroni Ecclesiarum nihil possunt exigere, præter antiquos & moderatos reditus à Diœcesano Episcopo ab initio constitutos sub pœnâ excommunicationis. *cap. preterea, de Jur. Patron. cap. cum Bertold. de sent. & re jud.* Quod si tamen Patronus fortunæ invidiâ bonis elavit, alimenta ab Ecclesiâ petere non prohibetur. *can. contra. can. quicunque. caus. 16. q. 7. & cap. Nobis. x. de Jure Patron.*

CAP. XVI.

Quid sit conversio. quid ἄσκησις? Μεταβολὴ Monachorum? Ad can. Ingredientibus. caus. 19. qu. 3. Et Justiniani Nov. V.

JUstinianus *Nov. 5.* vitam monasticam commendans ita inquit, Δεῖ καὶ, τῆς τῶν θείων αὐτῷ λόγων παιδείας, καὶ ἀσκήσεως ἀκριβοῦς, ὥστε τηλικαύτης ἄξιον γενέσθαι μεταβολῆς. Interpres vulgatus sic: Indiget divinorum eloquiorum eruditione, & conversationis integritate ut tanta dignus factus sit mutatione. Retinet versionem Haloander, μεταβολὴν mutationem reddens: Sed aliâ voce utitur Ecclesia, nempe *conversionis.* Converti dicebantur generaliter, qui à de vitâ seculari ad clericatum transierant. Gregorius Turonensis *lib. 9. c 33.* In quâ, *ait*, causâ Theutacius Presbyter, qui nuper ex Referendario Sigiberti Regis conversus presbyterii honorem accepit. Propriè tamen & signatè converti dicebantur, qui à seculo ad Monachismum sese conferebant. Johan. Cassianus *lib. 4. Monast. Inst. cap. 1.* Hi, qui ad dominum converti cupiunt, recipiantur in cœnobiis. Hieronymus de exitu Leæ: Ita eam totam ad dominum fuisse conversam, ut monasterii princeps, Mater Virginum fieret. Gregorius Turonensis *lib. 3. cap. 7.* *Conversio.*

Illa quoque ad Deum conversa mutatâ veste, monasterium sibi intra Pictaviensem urbem construxit. Hilarius Arelatensis in vitâ S. Honorati: Recenti adhuc & illibato nitore frontis sine admonitione convertitur. Gregorius Magnus *lib. 2. dialog. de S. Benedicto.* Alio quoque tempore Gothus quidam pauper spiritu ad conversionem venit, quem Dei vir Benedictus lubentissimè suscepit. Effectus autem hujus conversionis in ceteris erat ἄσκησις. Hâc voce Stoici utebantur & Cynici præcipuè, significantes rigidam illam vivendi rationem, quâ se contra fortunæ injurias durabant. Photius de Sallustio Cynico ait: ἄσκησιν tam facilè toleraſſe, ut neque corpore infirmior, neque animo dejectior visus fuerit. Josephus *lib. 6. c. 4.* de Nabalo ait, σκληρὸν καὶ πονηρὸν τοῖς ἐπιτηδεύμασι, καὶ κυνικῆς ἀσκήσεως πεποιημένον τὸν βίον. Hujus ἀσκήσεως sæpe meminit Arrianus, & est de eâ caput integrum *lib 3. Differtat. Epist.* Hoc veterum Christianorum quidam imitabantur, quod de Origene scribit Eusebius, *lib. 6. Ecclesiasticæ Historiæ, c. 3.* ubi ejus ἄσκησιν luculenter describit: Unde & φιλόσοφοι ἀσκηταὶ, appellati, imprimis verò monachi. Vide Desiderium Heraldum *de rer. judicat. auctor. cap. XI. Cujacium. paratit. Cod. d. Episc. & Cler. Salmasium Tertull. pallio. pag. 66. Casaubon. ad Baron. pag. 171. Scalig. Lect. Auson. lib. 1. c. 8.*

ἄσκησις.

Cap. XVII.

De gradibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Ad can. 46. caus. 11. q. 1. can. 8 & 9. caus. 9. q. 2. seu de subordinatis causarum Ecclesiasticarum foris seu judiciis.

Multæ sunt constitutiones Ecclesiæ, quibus singuli Episcopi jubentur res suas agere, neque in aliorum Ecclesias aut diœceses ἐπεκβαίνειν Canon. 2. Concilii CPtani: τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας. Zonaras ibi notabat: Διὰ δὲ τοῦ ἐπιέναι τὴν λῃστρικὴν οἷον ἐμφαίνεσθαι καὶ ἄτακτον ἔφοδον. Nempe hoc verbo ἐπιέναι invasionem significari quasi latrocinii instar. Quo canone Episcoporum

rum velut territoriis termini limitesve ponebantur, quos transilire Episcopis aliis minimè liceret. Hanc esse hujus canonis veram interpretationem ex Socrate *lib.V. H.Eccl.cap.7.* liquet, ubi de synodo illâ CPnâ agit: Verba ejus hæc sunt: Καὶ Πατριάρχας κατέστησαν διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιβαίνειν. Τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο ἀδιαφόρως. Et distributis provinciis diœceseos patriarchas constituunt, ut ne alterius diœceseos Episcopi Ecclesias extra suos fines sitas invaderent. Id enim antea propter persecutiones facere cuique liberum erat. Hæc porrò firmantur eodem canone, ita conversa in Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ, ab Hadriano I. Papâ Karolo magno Romæ quondam oblato, qui canon in ordine ejusce Codicis est CLXIV. *Qui sunt super diœcesin Episcopi, nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant, nec eas hac præsumptione confundant; sed juxta canones Alexandrinus Antistes quæ sunt in Ægypto regat solummodo, & orientis Episcopi orientem tantum gubernent, servatis privilegiis, quæ Nicænis canonibus Ecclesiæ Antiochenæ tributa sunt: Asianæ quoque diœceseos Episcopi ea quoque quæ sunt in Asianâ diœcesi dispensent. Nec non & Ponti Episcopi ea tantum, quæ sunt in Ponto, & Traciarum, quæ in Thraciis sunt, gubernent. Non vocati autem Episcopi ultra suam diœcesin, non accedant propter ordinationes faciendas vel propter alias dispensationes Ecclesiasticas. Servatâ vero, quæ scripta est de gubernationibus regulâ, manifestum est, quod illa, quæ sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio. Ecclesias autem Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem quæ est à patribus observata. Veruntamen CPus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum propterea, quod urbs ipsa sit junior Roma.* Nititur hic canon celebri illo Nicæno: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. &c. Quod propterea constitutum, ne quisquam auderet ὑπὲρ διοίκησιν ὢν quidquam pro potestate agere, & in

in jus Ecclesiarum ὑπερορίων invadere. Cuilibet ergo Episcopo sua erat ἐπισκοπὴ, & primus Jurisdictionis gradus, alter gradus erat omnium Episcoporum unius provinciæ, qui à Metropolitano convocantur. Hæc perfecta synodus vocata;quod Metropolitanus interfuit. Canon. 16. Concilii Antioch, πλείαν δ' ἐκείνην εἶναι σύνοδον ᾗ συμπαρείη καὶ ὁ τῆς μητροπόλεως. Tertius gradus fuit Episcoporum multarum provinciarum, quæ diœcesis dicebatur, vocabulo à civili administratione petito, velut territorium, cui plures Ecclesiæ & parœciæ suberant, nec non Chorepiscopatûs. Est ergo διοίκησις propriè Episcopi, Archiepiscopi, seu metropolitani, Exarchi & Patriarchæ. ita ut quando de omnibus illis dignitatibus ageretur, aut de quibusdam earum, διοίκησις tunc tribueretur superiori. Hinc canon 6. concilii CPtani: Εἰ δὲ συμβαίη ἀδυνατῆσαι τοὺς ἐπαρχιώτας πρὸς διόρθωσιν τῶν ἐπιφερομένων ἐγκλημάτων τῷ ἐπισκόπῳ, τότε αὐτοὺς προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων ἐκείνης, ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων, καὶ μὴ πρότερον ἐνίστασθαι τὴν κατηγορίαν &c. Id est: si quidem acciderit provinciales (Episcopos) non sufficere, tunc accedant ad majorem conventum Episcoporum illius diœceseos, qui hac de causâ convocati fuerint, nec prius accusationem instituant, & reliqua. Unde apparet διοίκησιν latiùs patere
διοίκησις, ἐπαρχία. quàm ἐπαρχίαν, provinciam, nempe διοικήσει Metropolitæ subjectam. Hinc dicuntur Episcopi τῆς ἐπαρχίας, in dicto canone qui Metropolitano suberant, ἐπαρχιῶται, quemadmodum etiam in can. 4. Concilii Nicæni can. 1. & 2. Concilii Ephesini, & can. 20. concilii Antiocheni: Latinis, Provinciales, ut vel ex Gregorio Turonensi videre est. lib. 9, cap. 20. Porro supra Metropolitanum erat ἔξαρχος, qui plures provincias administrabat qui & Patriarcha & Primas. Ita sanè canon. 9. & 17. concilii Chalchedonensis: Εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικὸν πρᾶγμα ἔχει μὴ ἐγκαταλιμπανέτω τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον καὶ ἐπὶ τὰ κοσμικὰ δικαστήρια καταπρεχέτω, & post: εἰ δὲ καὶ κληρικὸς πρᾶγμα ἔχοι πρὸς τὸν ἴδιον, ἢ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω; εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην, ἐπίσκοπος, ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν

ἢ τὴν τῆς βασιλευούσης κωνσταντινουπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ' αὐτοῦ δικαζέσθω.
Si cui clerico lis fuerit, cum alio clerico, ne relicto proprio Episcopo ad judicia secularia excurrat: Sin autem lis ei fuerit cum proprio vel alio Episcopo, à provinciæ synodo judicetur: Sin autem cum ipso provinciæ Metrapolitano lis sit & controversia Episcopo aut clerico, exarchum adeat vel regnantis urbis CPleos sedem: En tres jurisdictionis Ecclesiasticæ gradus: Nam aut clerico res est cum alio eidem ἐπισκοπῇ subjecto clerico & tunc Episcopus, cui uterque subest, adeundus est: Vel cum Episcopo ipso, tunc ad Synodum provinciæ referenda lis est. Vel denique cum ipso provinciæ Metropolitano, quo casu vel Exarchus adiri debet vel Patriarcha Constantinopoleos. Hi ergo erant fines, hi limites canonum, intra quos jurisdictio Ecclesiastica continebatur. Et inprimis canon XI. CPanus, quem Gratianus in duos distraxit, *octavum* nempe & *nonum* caus. 9. q. 2. Unde factum quoque ut d. can. *Non invitati*. 9. ad Episcoporum singularium diœceses relatus fuerit contra concilii mentem quod non unius Episcopi Ecclesiam, sed integrum corpus Ecclesiarum sub uno Metopolitano vel Exarcho, vel patriarchâ constitutarum intelligebat. *Gratiani manus.*

CAPUT XIIX.

Pontificem Romanum pro sui electione censum Regibus Gothis pendisse, ab iisque confirmationem periisse. Ad can. Agatho. dist. LXIII.

ECclesia Romana Gothis Italiâ potitis à Regibus Arrianis confirmationem electi Romani Pontificis petiit, magnaque pecuniæ vi redemit. Indicat Cassiodorus *lib.* 8. *Epist.* 15. Nec Italiâ à Gothis receptâ desiit vectigalis esse. Nam ipse Justinianus exactis Gothis eandem confirmationem, & censum pro eâ retinuit, quod non tacuit Gregorius I. in Psalmum 102. pœnitentialem, ut observat doctissimus Antonius Dadinus Alteserra, donec postulante Agathone Constantinus Pogonatus hunc censum remisit,

retento confirmandi jure, quemadmodum ex Anastasio Bibliothecario in Agathone retulit Gratianus in Can. *Agatho*, dist. LXIII. Hoc onere soluti Pontifices hos sumtus in missilia populo spargenda verterunt. Quo pertinet illud Bernardi lib. 4. de Consider. ad Eugenium Papam: Quale est, *inquit*, quod de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt Tibi Euge! Pauperum vita in plateis divitum seminatur, argentum micat in luto, accurritur undique tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui fortè citius procurrerit, A te tamen mos, vel potius mors ista non cœpit, in te utinam desinat.

Caput XIX.

Ad distinct. 15. can. 3.

Actus B. Sylvestri. PRobantur hoc canone actus B. Sylvestri. Refert ex his actibus Cedrenus in Constantino disputationem Sylvestri cum quibusdam Judæis coram Imperatore & miraculum editum ab eo. Cum enim Judæus taurum validum, pronunciato nomine Dei necasset: Sylvester jussit, ut in vitam eum vicissim reduceret, quod facere cum nequiret, Sylvester in nomine Christi id fecit. Hæc Cedrenus, auctor dubiæ fidei.

Inventio crucis Dominicæ. De Scriptis de inventione S. Crucis Gelasius providè & prudenter pronunciat. Helenam invenisse crucem dominicam Theodoretus *lib* 1. *c.* 8. Sozomenus *lib.* 2. *c.* 1. Nicephorus *lib.* 8. *c.* 29. Sulpicius Severus *lib.* 2. Ruffinus *lib.* 1. *c.* 7. & 8. Simeon Metaphrastes in vitâ Helenæ, Cassiodorus 2. narrant. At recentiores quidam in dubium vocant, quia Scriptores inter se non conveniant in circumstantiis. Theodoretus, Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Georgius Hamartolus gravem mulieris morbum ab umbrâ Crucis depulsum: Sulpitius, Paulinus, Leo Imperator mortuam resuscitatam, & inde agnitam crucem. Ambrosius solo titulo agnitam profitetur, nullo alio miraculo. Hanc opinionem tenent Salmasius in Epistolis de Cruce. P. Molinæus in Epistolâ Gregorii de euntibus Hierosolymam, *pag.* 37. & 52. & Thomas Bartholinus commentatione de Paralyticis novi testamenti, *pag.* XI.

De

De inventione capitis Johannis Baptistæ similis est ratio. Est quidem apud Cyprianum tractatus de revelatione capitis hujus, Sed non germanus partus. Facit enim mentionem Athanasii, Cyrilli, Theodosii Imp. & Pipini. Ipsa revelatio capitis facta sub Theodosio fertur Nicephoro *lib.* 12. *cap.* 49. Et Theodosius in templum à se conditum curavit inferri. Sozomenus *lib.* 7. *c.* 21. Et tamen denuo inventum est à Gvilielmo Aquitaniæ Duce in monasterio Angeriacensi, ut est in appendice ad Glabrum. Theodoretus ossa ejus cremata Sebastæ in Palestinâ refert *lib.* 8. *c.* 16. *Inventio capit. Joh. Baptistæ.*

Itinerarium Petri Apostoli reprobat Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis & Athanasius in synopsi. Epiphanius ait conscriptos fuisse circuitus Petri à Clemente, sed ab hæreticis depravatos hæresi 30. De eo sic Blondellus: Itinerarium Petri, scriptum nugis & fabulis refertum, veteris Ecclesiæ cauterio inustum, ab ipso Romanæ inquisitionis consilio libris prohibitis annumeratum, à doctis omnibus rejectum. Vide Athanasium in synopsi, Epiphanium hæresi 30. Philastrium hæresi 40. Synodum Romanam sub Gelasio coactam, Photium bibliotheca Cod. 113. Humbertum cardinalem adversus Nicetam; Ivonem parte 4. cap. 105. Honorium Augustodunensem, de luminaribus Ecclesiæ. Driedon. de Eccles. scriptoribus & dogmat. parte 5. lib. 4. c. 5. Natalem Bedam adversus Joh. Fabrum proposit. 103. Sixtum Senensem biblioth. lib. 2. Pererium in genesin lib. 2. q. 3. Bellarminum de scriptor. Eccles. Baronium ad annum Domini 34. §. 280. 291. An. 41. §. 10 51. 52. An. 44. §. 36. An. 112. §. 22. Perionium replica. c. 31. Possevinum in apparatu ad verbum, Clemens. Serarium de Apostolis. §. 55. Lorinum in act. 19. 9. Binium in notis ad Epist. Clement. *Itinerarium Petri.*

Liber de nativitate S. Mariæ ab Hieronymo suppositius censetur. Idem sensit Erasmus Roterodamus, Melchior Canus, Sixtus Senensis & Baronius. Defendit Christophorus de Castro Jesuita Hispanus Seleucum auctorem Manichæorum Apostolum notissimum hæreticum nominat, Causabonus Exerc. 1. ad appar. n. 39. Eundem, qui apud Gelasium Leuticius, Leutivus in libro Augustini de fide contra Manichæos Leucius vocatur. Sed & Leontius in princ. ejusdem libri. Vid. Causab. d. loc. *Liber de nativ. Mariæ.*

Liber qui Pastor. Liber qui appellatur *Pastoris* habetur Gelasio apocryphus. Est tamen à Pio I. Papâ receptus. *c.| nosse. de consecrat. distinct. 3.* Auctor ejus est Hermes. A Clemente Alexandrino, itemque Origine & Irenæo *lib. 4. c. 27.* testis citatur. Rejicitur à Tertulliano libr. de Podicit. Eusebio *lib. 3. hist. c. 3.* & ab Hieronymo in prologo galeato. Fertur Pauli Apostol. discipulus, cujus ad Romanos meminit. In eo Angelus Pastor, protector & custos ipsius Hermæ, qui & Angelus pœnitentiæ nuncius dicitur, duodecim præcepta vitæ benè agendæ proponit. Eusebius lib. 3. histor. Ecclesiasticæ: Libellus, inquit, Hermæ, qui dicitur ποιμήν, cujus Paulus in Epistolis suis meminit, à plurimis non est receptus, ab aliis autem necessarius judicatus est propter eos, qui primis ad fidem institutionibus imbuuntur. Unde & in nonnullis Ecclesiis legitur. Et multi veterum usi sunt testimoniis ejus. Dorotheus Tyri Episcopus in synopsi scribit, eum Philippopoleos fuisse Episcopum. Damasus in catalogo Pontificum tradit, hunc Herman fuisse fratrem Pii Papæ, hoc nomine primi, exarasse Pastoris opus temporibus Antonini Pii, Anno Domini 129. At Origines libro X. in epistolam ad Romanos existimat, eum Paulo fuisse synchronon. Vide Sixt. Senens. lib. 2. Baron. Martyrol. 9. Maji.

De actibus Teclæ. De actibus Teclæ idem censuit Tertullianus libro de Baptismo c. 18. qui ait Presbyterum in Asiâ quendam hunc librum amore Pauli construxisse. Idem & Hieronymus in catalogo *script. in Lucâ.* Quo nomine Hieronymum malè excipit Baronius ad annum 47. *sect. 3.*

De transitu Mariæ. Liber de transitu Mariæ Melitoni Sardensi tribuitur à Trithemio, quod Beda reprobat in Retractatione Actorum. c. 8. Vid. Sixt. Senensem in Bibliothecâ lib. 2 Baronium tom. 1. A. D. 48. sect. 12. Sortes Apostolorum quid tractarint, adhuc quæro. Sarisberiensis *l. 1. c. 12.* videtur ad divinationes referre, quando ait: Qui sub nomine fictæ religionis superstitiosâ quâdam observatione rerum pollicentur eventus, quod genus sortis Apostolorum & Prophetarum, & divinantium. Utrum modum sortiendi, quo usi Apostoli sunt, Matthiam eligentes, an quæ partes orbis ad docendum cuique obvenerint sorte, historicè vel aliter tradiderit

Sortes Apostolor.

derit, an quid aliud, nondum liquet. Quid sors Apostolorum sit, apud D.l rio, *lib. 4. Disquisit. Magic.c.2.q.7.sect.3*, quam non vetitam pronunciat, in propatulo positum est. Et extat apud Gregorium Turonensem exemplum *lib. 4. c. 16.* ubi Clerici positis tribus libris super altare Prophetarum, Apostolorum, Evangeliorum oraverint ad Dominum, ut Chamno, quid eventurum sit, ostenderet: Aperto igitur primo omnium Prophetarum libro reperiunt: Auferam maceriam ejus. Reserato Apostoli libro, inveniunt; Scitis fratres, quod dies Domini sicut fur in nocte veniet, cum dixerint; Pax & securitas &c. Ex Evangelio hæc; Qui non audit verba mea, assimilabitur stulto, qui ædificavit domum supra arenam. Et Cedrenus refert, Heraclium apertis Evangeliis invenisse sibi concessum esse, ut in Albania hibernaret. Videtur tamen genus divinationis notari *ex can. 1. caus. 26. quæst. 1.*

Liber Proverbiorum Xysti nomine signatus extat in Bibliothecâ Patrum tom. 5. ult. edit. Et citatur à S. Augustino libro de Naturâ & gratiâ c. 64. Sed in lib. retractat. 2. c. 42. correxit. Non enim fuit Xysti seu Sixti Martyris, sed Sixti Philosophi Ethnici, teste Hieronymo, Epistolâ ad Ctesiphontem adversus Pelagianos in c. 21. Hieremiæ. &c. 28. Ezechielis. Vertit eum Ruffinus, & Xysti nomine inscripsit. *Liber proverbior. Xysti.*

Librum de S. Maria & obstetrice Salvatoris viderat Vulbertus, ubi ait eum nomine Hieronymi prænotari: Sed à Matthæo scriptum Hebraicè & translatum in Linguam Latinam. *De S. Mariâ & obstetrice Salv.*

Liber, qui appellatur Thesaurus, Manichæorum fuit. Epiphanius hæresi 66. art. 13. ubi duos fuisse ait, & alterum thesaurum minorem dictum. *Liber, Thesaurus.*

Epistola Jesu ad Abgarum extat apud Esebium *lib. 1. c. 13.* ex tabulis publicis Edessæ civitatis Syriacè scriptis. Quàm nunquam admissam ab Ecclesiâ inter Scripturas Canonicas ait Bellarm. de Script. Eccles. ad annum 34. Richardus Montecutius orig. Eccles. tom. 2. ait, ex Augustino constare Epistolâ 263. epistolas istas tanquam genuinas ab Ecclesiâ admissas, nec esse in his, cur rejiciantur. Sed Augustinus tot epistolas ad nos non transmisit, Habemus enim 222. tantum. *Vid. Baron. anno 43. n. 18.* *Epist. Jesu ad Abgarum.*

Nepotis. Liber Nepotis videatur apud Eusebium *lib. 7. histor. cap. 19.* Theodoret. *lib. 3.* hæretic. fabb. *c.* 6.

Evangel. Tacian. Evangelia quæ falsavit Lucianus. Lege, Tacianus. Theodoret. *lib. 1. haret. fabb. c.* 20. Tacianus Evangelium, quod Diatesseron dicitur, composuit, amputatis genealogiis, & aliis omnibus, quæ Dominum ex semine David secundum carnem natum ostendunt, eoque usi sunt non modo qui ejus erant sectæ, sed etiam hi, qui Apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius tanquam compendio utentes.

Faustus Manich. Opuscula Fausti Manichæi. Duo fuere Fausti Episcopi, unus in Africâ Manichæus, *Avitus Epist.* 4. Alter Britannus, Episcopus Rhegiensis, sectâ Pelagianus, contra quem scripsit Avitus & Gennadius Massiliensis Ecclesf. dogm. *c.* 48. Item Fulgentius, teste Isidoro de viris illustribus.

De pœnit. Jamnes & Jambris. Libri, qui appellatur de Pœnitentiâ Jamnis & *Mambre.* Lege Jambris. Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς. 2. *Timoth.* 3. *c.* 8. Fuerunt Magi Moysi resistentes. Eusebius de præparat. Evang. lib. 9. Jannes & Jambres ἱερογραμματεῖς sacrarum rerum Ægyptii, quo tempore finibus ejecti Hebræi sunt, claruere: Viri omnium judicio rerum magicarum scientiâ nemini concedentes, quippe ambo quidem communi Ægyptiorum consensu delecti sunt, qui Moysi, duci Judæorum, cujus apud Deum potentissimæ preces erant, sese opposuerunt. Confer Origenem tractat. 35. in Matthæum. Philostorgium *lib. 9. histor. c.* 2. & Palladium in historiâ Lusiacâ *c.* 20. Plinius *lib.* 30. *c.* 1. meminit hujus Jamnis inter Judæos Magi, ex veteri calumniâ Mosen inter Magos recensens. Videsis Justinum *histor. libr.* 36. Tacit. *lib.* 5. *histor.* 3. Apulejum. *apolog.* Ludovicum Dorleans *in cogitat. ad Tacit. annal. lib.* 2. Contra, Pythagoræi, Numenius *libro* 3. de Bono, virum Deo conjunctissimum Mosen sub

Moyses. Musæi nomine laudat. Confer Philonem Judæum *lib.* 1. *de vitâ Mosis*, Jamblichum de vita Pythagoræ *lib.* 1. ubi Moschum appellat. Hoc nomen quoque apud Apulejum corruptum, *apol.* 2. à viris doctis restitutum est. *Jacob. Gothofred.*

CA-

CAPUT XX.

De Phylacteriis ad Can. 3. distinct. 15.

GElasius phylacteria pronunciat apocrypha. Synodus Laodicæa. can. 36. prohibet; ὅτι οὐ δεῖ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια, ἅτινά ἐστι δεσμωτήρια τῶν ψυχῶν αὐτῶν· τοὺς δὲ φοροῦντας ῥίπτεσθαι ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκελεύσαμεν. Latinè habetur canon iste apud Gratianum *c.4. caus.26. q.5.* Synodus Trullana *can.61.* nominat τοὺς φυλακτηριοὺς, phylacteria scilicet facientes. Ubi Balsamon in Scholio: φυλακτήριοι δὲ λέγονται οἱ κατὰ ἀπάτην δαιμονικὴν διδόντες τοῖς ὑπ' αὐτῶν ἀπατωμένοις δήματά τινα ἐκ σηρικῶν νημάτων ὑφασμένα καὶ πυγχία λεγόμενα ἔχοντα ἔσωθεν ποτὲ δὲ ψευδῆ τινα ἕτερα τὰ παρατυχόντα. Philacterii dicuntur, qui per deceptionem Dæmonis vincula quædam ex sericis filis contexta præbent his, qui à se decipiuntur, ut & quæ pungia dicuntur habentia interne, quandoque scripturas, aliquando verò falsa quædam alia promiscua. Vide ibi plura. Πουγγὴ, πουγγίον sacculus, crumena, *Vid. Meurs. Gloss. Græcobarb.* Reprobantur & in Epitoma canonum Harmenopuli *sect. 5. tit. 3. can. 5.* Capitulis Caroli & Ludovici *lib. 5. tit. 2. & lib. 6. cap. 72.* ubi: Ut à Clericis vel Laicis phylacteria vel falsæ inscriptiones aut ligaturæ, quæ imprudentes pro febribus vel aliis pestibus adjuvare putant, nullo modo vel ab illis vel à quoquam Christiano fiant, quia magicæ artis insignia sunt: Sed pro infirmitate illud, quod Apostoli & canones sanxerunt 1. orationes & sacri olei unctio fiat. Et *lib. 7. c. 94.* Statuimus, ut singulis annis unusquisque Episcopus Parochiam suam solicitè circumeat, populum confirmare & plebes docere, & investigare & prohibere paganas observationes, divinosque vel sacrilegos, auguria, phylacteria, incantationes, & omnes spurcitias gentilium studeat. Adde additionem. 2. Ludovici *cap. 18.* Erant ergo in genere φυλακτήρια περίαμμα, amuleta, quæ corpori alligabantur adversus fascinationes, quæ concilio Turonensi *c. 3. c. 42.* Ligaturæ appellantur. Chrysostomo laudantur ceu Martyres, qui morbum pati, quam phylacteria malint, oratione de infirmitate. Utebatur iis Manes, *Epiph. in hæres. 66. art. 13.* Pungia. Ligaturæ.

Alia erant phylacteria Judæorum, quæ memoriam custodiebant legis, membranæ, quibus inscribebant quatuor Pentateuchi sectiones, quarum prima continet novem priores versus *cap. 6. Deuteron.* Secunda novem priores versus *cap. 13. Exodi.* Tertia octo posteriores ejusdem capitis, hoc est, versus inter nonum & decimum septimum interjectos: Quarta continet *ex Deut. c. XI.* versus, qui sunt à decimo tertio ad vigesimum secundum. Hæc Judæi fronti & brachio aptant, & Tephillim vocant, ut notat Camerarius notis ad Matthæum Evangelistam *cap. 23. v. 5.* Horum imitatione Christiani olim Evangelia & similia appendebant, eâ intentione, ut Christi memoria semper ante oculos versaretur. Sed postea in superstitionem abiit. Hieron, *in Matth. c. 23.* Pictatiola illa Decalogi philacteria vocabant, quod quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet. *Et post:* Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in parvulis Evangeliis & in crucis ligno, & istiusmodi rebus, quæ habent quidem Zelum Dei, sed non juxta scientiam, usque hodie factitant. De hisce phylacteriis videtur mihi loqui Gelasius, de libellis scilicet parvulis in collo appensis, quibus accessit hæc superstitio postea, ut & amuleta crederentur. Utitur hâc voce allegoricè Fridericus Imp. in Constit. Siculis *lib. 2. tit. 45. c. 1.* de Advocatis plaustra allegationum advehentibus: Advocatorum, inquit, allegationibus, qui phylacteria sua perorando dilatant. Denique extat in Indiculo superstitionum & paganiarum, quibus prisci Saxones fuere obtenebrati, à Conringio, fautore meo maximo, ad calcem tractatus de Origine Juris Germanici editionis tertiæ *pag. 349.* edito, Rubrica; *de Phylacteris & Ligaturis.*

Caput XXI.
Ad Distinct. XVI. De Canonibus Apostolorum.

Diximus supra primam Canonici juris collectionem fuisse systema canonum Apostolicorum: Sed hos canones Gelasius in apocrypha refert. Rejiciuntur etiam *c. 1. distinct. 16.* auctori-

tate

tate Isidori, qui canon extat in præfatione Isidori ad collectionem conciliorum, quæ ex Bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ descripta, Romam missa est, ut testantur Critici Gregoriani, *add. can.* 1. Quomodo igitur conciliabitur can. 1. canoni. Placuit 4. distinct. ead. Iidem Gregoriani dubitant an idem utrobique sit Isidorus, quod contendit tamen Possevinus *appar. tom.* 1. *voce: Isidorus Mercator.* Baronius ad annum 102. canonem primum, qui sit ex prima Isidori editione, rejiciendum statuit; At non sat rationis profert cur illa editio, quæ ex Toletanæ Bibliothecæ exemplari descripta est, sit rejicienda. Sequendus mihi videtur Christophorus Justellus in præfatione Codicis canonum, censens canonem primum Isidoro Hispalensi adjudicandum: At canonem quartum esse Isidori Mercatoris. Quod probatur manifesta hac ratione, quia Isidorus Mercator in ordine celebrandi concilii, quem suæ collectioni præfixit, concilii Toletani XI. meminit, celebrati Anno 675. Ipsaque collectio à canonibus Apostolorum pertingit ad concilium Toletanum duodecimum, anno 682. cui etiam inserti sunt canones ab Hadriano primo collecti, & Ingelramno Mediomatricis Episcopo traditi anno 785. cum tamen Isidorus Hispalensis mortuus sit anno 635. Junge P. Marcam à p. 143.

CAPUT XXII.
Quædam de Jure præcedentiæ, ad can. ult. distinct. XVII.

De jure προεδρίας, antelatione & ordine honoratorum inter Juris Publici diatribas utilissima una est. Nititur non ambitionis vanitate, sed partim hoc justitiæ fundamento, quod suum cuique jubet reddi. Cumque tota Reip. ratio consistat in ordine superiorum & inferiorum, utique salutis Reip. & cujuscunque

Civilibus conventibus turbentur, & scandala inde oriantur, & denique ad arma & vim publicam decurratur. Hinc tituli in utroque Codice, ut dignitatum ordo servetur: De albo scribendo: Lex Papia de ordine sententiarum rogandarum. Est & Novella Valentiniani III. de Honoratis, & quis in gradu præferatur. Et pertinet huc penè totus lib. 6. Cod. Theodos. Novella item Justiniani 72. c. 2. In jure Canonico eo pertinet *cap. Clerici extr. de Judiciis*, ibi Canonum Consulti. Item *cap. solitæ. de Majori. & ob. cap. ut debitus. de Appellat. c. ex ore. de privil. Canon. ult. dist.* 17. Ut adeo Spero Speronius della precedenza de Principi erret, qui hoc argumentum ad JCtos pertinere negat: cum de eo agere si JCti proprium non sit, neminis unius esse videatur. In hoc jure spectandi sunt modi acquirendi & tituli, quibus assequimur præcedentiam & tuemur, & argumenta, quibus inesse alicui probatur. Adquiritur vel per se, vel mediante quo alio. Per se, ordine naturæ, prioritate temporis. Sic ordine naturæ, dummodo cætera sint paria, qui prior lucem inter fratres adspexit, potior est in præcessu. Ita antiquitas promotionis, cooptationis, installationis, immatriculationis, renunciationis, initiationis, consecrationis præcedentiam causatur. Inter æquales dignitate, ut prior tempore, prior sit statione, processu & sessu, loquendo, salutando Principem. Textus in jure Civili sunt in hanc rem *l.* 1. *de Alb. scrib. l.* 1. *&* 4. *C. de Consul. l.* 2. *ut dign. ord. serv. l.* 1. *&* 2. *C. de primicer. l.* 1. *C. de Comit. & Archiatr.* Jure Canonico *cap.* 1. *de Major. & obed. cap. Episcoporum dist.* 72. *cap. fin. dist.* 16. *& can. Episcopus dist.* 7. Commentatores Joh. de Platea *ad l.* 1. *de Alb. scrib. Ad l.* 2. *C. ut dign. ord.* Baldus *in l. plures. C. de cond. insert. & in l. observare §. antequam ff. de off. Proconf.* Lucas Pennalis *in l. Numerarios. C. de apparit. magist. milit.* Ad textus Canonicos Joh. de Turre cremata. Felinus *de Major. & obed.* Tractatuum Scriptores, Chassanæus *part.* 1. *conf.* 78. *& part.* 4. *conf.* 58. Consulentes: Hottomannus *conf.* 105. Natta *conf.* 638. *n.* 4. *lib.* 4. Menoch. *conf.* 277. *n.* 12. *& conf.* 902. *n.* 46. *& seq.* Signorol. *conf.* 23. *n.* 21. Collegium Bononiense. *conf.* 1. Decian *resp.* 19. *n.* 89. *vol.* 3. Observantes & Decidentes. Gailius *l.* *Obs.* 21. Mainardus *lib.* 1. *c.* 72.

Lan-

Langlæus 7. *Semestr. in fin.* & 8. Matth. de Afflict. *decis. Neapol.* 1. Sic Cardinales secundum prioritatem promotionis sedent. *Chass. p.* 4. *conf.* 17. Item Episcopi ejusdem provinciæ, qui ordinationis tempore antecedit, ante alios sedet & subscribit in concilio. *can. ult. dist.* 17. *can.* 5. *dist.* 74. Felinus *in rubr. de Major. & obed.* Concilium Bracarense 1. *can.* 24. Toletanum IV. *can.* 3. Concilium Milevitanum. *can.* 86. Codicis Africani Chassan, *part.* 4. *conf.* 23. Goldastus Senior, *lib.* 1. *c.* 17. *n.* 17. Quæ tamen capienda sunt Primatus honore salvo, ut additur *in fin. d. can. ult. de Primatu Numidiæ. & Mauritaniæ,* & ideo *can.* 1. *dist. seq.* placuit, ut conservato Metropolitani primatu ceteri episcopi secundum suæ ordinationis tempus alius alii locum deferat. Ideo supra addidimus, quod locus hic regulæ sit inter dignitate æquales. Idem obtinet in Doctoribus, secundum Bartolum *in l. fin. C. de. Tiron.* & *in l.* 1. *C. de obseq. à libert.* Joh. de Plateâ *in l.* 2. *C. de Primicer.* Riccius *decis. Neapol. tom.* 1. *decis.* 131. *n.* 16. Menoch. *consil.* 51. *n.* 39. non attentâ ætatis ratione.

Caput XXIII.
Ad can. IV. distinct. IV. de Quadragesimâ.

Cum superioribus distinctionibus de legibus egisset Magister, continuat eundem tractatum, hac quoque, de legum fine & qualitatibus præcipuè tractans. Canone enim primo factas ait leges, ut earum metu coërceatur humana audacia. In can. 3. Ait leges temporales postquam sint latæ, non licere judici de ipsis, sed secundum ipsas judicare. Ad quomodo cohæret his canon quartus, ubi de septem hebdomadis Quadragesimæ? Nimirum dixerat in can. 3. quod leges instituantur, cum probantur, firmentur verò, cum moribus utentium approbentur. Inde exempli gratia subjicit à Telesphoro Papâ institutum, ut clerici à quinquagesima jeju-

Papæ anno Christi 142. adscribunt. Alii à Christo introductum, ut Ambrosius serm.23.& 27.& Balsamo ad Can. Apostol. *69*. Alii ab Apostolis institutum volunt. Hieronymus ad Marcellam adversus Montanum. Leo sermone de Quadragesima. Vid.& Baronius.ad ann.57.n.194. Modus non idem servabatur. Alii enim uno die, alii duobus, alii tribus, alii sex diebus ab omni cibo abstinebant,ut patet ex Irenæo apud Eusebium *lib.5.hist.c.*24. Hieronymo ad Marcellam,Augustino *epistola* 118.c. 4. Primis aliquot seculis jejunatum fuit per dies XXXVI. quatuor dominicis exceptis. Quibus ut compleretur numerus quadragenarius, quatuor dies Ecclesia addidit.Baronius.d.loc.Sozomenus *lib.7.c.*19. varie fuisse observatam Quadragesimam,& apud aliquos plures septimanas habuisse,quam sex. Illam,inquit, quæ hinc processit, quæque appellatur Quadragesima,in quâ populus jejunat, alii in sex dierum septimanas computant,ut Illyrici, & qui ad occidentē sunt, nec non & universa Lybia & Ægyptus cum Palæstinis. Alii in septem,ut Constantinopolitani & nationes circumjacentes, usque ad Phœnices.Alii sparsim tres intra sex aut septem istas jejunant: Alii tres Pascha immediate præcedentes continuant: alii duas,ut Montani sectatores. Mens est, quosdam totas sex septimanas jejunare: Alios non totas sex integras,sed tres tantum,ita ut alternatim jejunent septimanâ unâ, altera intermittant. Alii vero non alternatim,sed tantum per tres ultimas septimanas, alii per extremas duas, ut Montani. Quam alternationem affirmat locus *Socratis lib.5.c.*22. & Ambrosii *sermone 35*. Sed qui numerum integrum complere satagebant,dies utiles computabant: Qui verò continuos,jejunabant per XXXVI. dies, demtis seu exceptis dominicis. Inde factum est, ut nunc Quinquagesima, nunc Sexagesima,nunc Suptuagesima dies utilis numerum quadragenarium absolveret. Ita explicat Carolus M. Epistolâ ad Alcuinum Præceptorem dicens,qui à septuagesimâ ad diem Paschæ novem hebdomadas jejunent,ex singulis si Dominicam, feriam quintam & Sabbatum subtraxeris, iisque addas sacrum diem Paschæ, triginta sex in abstinentiâ dies remanere.

FINIS ECLOGAE VI.